4

34-? -3-

HISTORIA
CHRONOLOGICA
RECTORUM
COLLEGII
S. MARTIALIS
AVENIONENSIS.

ANNO M. DC. LXXXVIII.

Digitized by Google

HISTORIA CHRONOLOGICA

R:CTORUM SEU ADMINISTRATORUM Collegii Sancti Martialis Ordinis Cluniacenſis, Avenione fundati ab Abbatibus Cluniacenſibus. Ex qua patet manifeſtiſſimè, Rectoratum illius Collegii nunquam fuiſſe Titulum Beneficii, ſed nudam ſemper fuiſſe Adminiſtrationem revocabilem ad nutum Abbatum Cluniacenſium.

PRODIIT nuper in publicum Memoriale Latinè ſcriptum, pro Domno Honorato de Longe-Combe de Peſieu, Monacho expreſsè Profeſſo Ordinis Cluniacenſis, quem Sereniſſimus Princeps & Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, Electus Abbas, Caput & Superior Generalis Abbatiæ & totius Ordinis Cluniacenſis nominavit in Rectorem Collegii Sancti Martialis Avenionenſis ejuſdem Ordinis. In eo ſcripto clarè oſtenditur Rectoratum illum nunquam fuiſſe Titulum Beneficii, ſed ſemper extitiſſe nudam & ſimplicem Adminiſtrationem &. ut vocant, Commiſſionem amovibilem ad nutum Abbatum Cluniacenſium: ex quo conficitur Proviſionem illius Officii, in nullo unquam caſu, pertinere poſſe ad Prolegatum Avenionenſem, ſeu vacet ſedes Abbatialis Cluniacenſis, ſeu non vacet: ſed pertinere ſolùm ad Abbatem Cluniacenſem, vel, ſi ſedes Abbatialis vacet, ad Majorem Priorem Cluniaci.

Cùm auctor dicti Memorialis, in tertia parte ſcripti ſui, demonſtraſſet Rectores illius Collegii meros fuiſſe Adminiſtratores, ſeu ſimplices Oeconomos, ducentorum annorum ſpatio; neglexit idem eorumdem Rectorum univerſam ulteriùs contexere hiſtoriam, & conſultò neglexit, ne ſua nimirum ſcriptio non neceſſariâ mole excreſceret: ſed quoniam cupidi quidam non defuere homines, è privata quorum re ac ratione valdè foret, Rectoratum illum fuiſſe aliquando Titulum Beneficii; qui homines, id quòd, datâ operâ, omiſſum fuerat, ſecus interpretati ſunt, manifeſtam, nempe, cauſæ quæ defendebatur, infirmitatem. Rati, eo tempore, quo, Rectorum ſeries, per ſingulorum annos, digeſta non fuit, ab aliquo forſitan eum Rectoratum geſtum fuiſſe, tanquam verum & propriè dictum Beneficium.

Operæ difficilis non fuit, tempus illud, quod ſuis vacuum Procuratoribus temporaneis, relictum conſultò fuerat, per Procuratores ejuſmodi occupatum oſtendere: ſed dum evolvuntur Archivia Abbatiæ Cluniacenſis, & Collegii Sancti Martialis, & ſuum in ordinem chartæ omnes rediguntur; Facta occurrerunt tam

digna notari, & tam claræ probationes veritatis aſſertæ in prædicto Memoriali; ut viſum fuerit componere authenticum, hiſtorico more, catalogum nunquam interruptæ ſucceſſionis omnium Oeconomorum, qui id Collegium rexere, nomine tantùm Procuratorio. In quo catalogo, luce clariùs oſtendetur, à primæva ejus Collegii fundatione uſque ad hodiernam diem, ne unum quidem Rectorem extitiſſe, qui eâ præfecturâ potitus fuerit in Titulum Beneficii; & Prolegatum Sforciam primum fuiſſe, qui, irrito conatu, tentaverit de eo Rectoratu providere in Titulum, contra jus Abbatis & totius Ordinis Cluniacenſis.

Jam accedendum eſt ad inveſtigandum originem Collegii Sancti Martialis, & quidquid, ab ejus fundatione uſque ad præſens tempus, in eodem Collegio dignum notatu geſtum eſt. Id agemus, poſt datam ſanctiſſimè fidem lectoribus, nil à nobis adduci, in toto hujus contextu operis, cujus non habeamus præ manibus autographas probationes, vel exempla authentica, ut pote ex ipſis fideliter expreſſa exemplaribus, ut vocant, Originalibus. Quæ probationes tum proferentur cùm opus fuerit; quamquam nuda & ſimplex rerum quæ hîc memorantur narratio, ſatis, ſe ſolâ, factura fidem eſt, quidquid à nobis in lucem editur, ad unam veritatis normam, exactum eſſe.

Quo tempore Romani Pontifices ſedebant Avenione, ea in urbe Palatium habebant Abbates Cluniacenſes, quod Palatium vocabatur: *Magna Domus*, vel: *Domus Principalis Abbatis Cluniacenſis*. Andruinus Abbas qui dein in ſacrum Cardinalium Collegium adlectus eſt, eam ſibi & ſucceſſoribus Domum acquiſierat per commutationem, atque ære proprio, attinentes hortos coëmerat. En quomodo facta fuerunt hæc commutatio atque coëmptio.

Joannes XXII. ſuo quaſi ſupremo jure, vindicarat ſibi Prioratum Pontiſſorgiæ qui juris erat Abbatum Cluniacenſium, cum univerſa Palatii Pontificii area, quod viſitur ibidem hactenus. Vrbanus V. juris ſui cuique reſtituendi gratiâ, pro bonis Abbatis Cluniacenſis, quæ Deceſſor ejus Joannes XXII. in uſus Romanorum Pontificum tunc Avenione degentium, converterat ad Pontemſorgiæ, dedit Abbati Cluniacenſi Palatium quod tunc appellabatur Regis Majoricæ, juris tamen erat Hugonis Balcii Comitis de Avellino. Ea donatio ſeu, ut loquitur Pontifex, *compenſatio* continetur in Bulla data Avenione, 16. Kal. Maii Anno 1. Pontificatûs ejuſd. Urbani. Ut verò ea Compenſatio foret irrevocabilis, facta eſt ſub onere ſolvendæ, quot annis, penſionis duodecim denariorum. Habetur in ea Bulla, Abbatem Cluniacenſem ſolviſſe Vanello Reyniero de Luca civi Avenionenſi pretium fundi Domûs illius, quod pretium Comes Avellini debebat eidem Reyniero, quod ſummam conficiebat mille & quingentorum florenorum auri. In eo Palatio commorabatur Procurator Generalis Ordinis Cluniacenſis, & ſæpe Abbas ipſe, propter gravia, quæ frequenter vertebantur in Aula Pontificia, negotia Cluniacenſium. Collegium Sancti Martialis fundatum fuit ab Abbate Jacobo, longo ſatis tempore poſt acquiſitam ab Abbate Andruino domum, hortóſque contiguos, & donatum ab Vrbano V. illi domui proximum Comitis Avellini Palatium.

Majoris claritatis gratiâ, viſum eſt opportunum, huic ſynopſi Chronologicæ præmittere Catalogum Abbatum Cluniacenſium, à tempore fundationis Collegii Sancti Martialis uſque ad hodiernam diem, in una columna; in altera verò columna, nomina Rectorum ſeu Adminiſtratorum, qui, Nomine Abbatum Procuratorio, idem Collegium gubernarunt.

Digitized by Google

ABBATES,	RECTORES.
ANDRUINUS Abbas, & poſteà Cardinalis, Domum Avenione acquiſivit. SIMON DE LA BROSSE ſucceſſit Andruino, anno 1361 JOANNES DU PIN electus fuit. 1369 JACOBUS I. DE CAUSSANS, ſucceſſit Joanni du Pin. 1374 Fundavit Collegium. 1379 Et paulò pòſt quàm feciſſet Statuta ad regimen Collegii, obiit. 1383	Domnus *Iacobus de Cadola*, Prior de Guilleſtra, Cantor Monaſterii Sancti Andreæ de Villanova ad Avenionem, Procurator Ordinis Cluniacenſis in Curia Romana, cœpit Adminiſtrationem ſuam, ante annum. 1383 In qua confirmatus fuit ab Abbate Joanne de Coſan. D. *Bego de Murato*, Prior Sanctæ Margaretæ de Elincuria, & poſtmodum Abbas de Bernaïo, in diœceſi Lexovienſi, Procurator item Ordinis Cluniacenſis, nominatus eſt Rector Collegii Sancti Martialis, ab Abbate Joanne de Coſan.
JOANNES DE COSAN ſucceſſit Jacobo I. eodem anno. 1383	D. *Robertus d'Eſchaudeſoles*, & D. *Arnaldus de Mazzeroliis*, Procurarunt Collegium, dum abſens fuit D. Bego de Murato, annis 1391. & 1392 D. *Robertus d'Eſchaudeſoles*, Prior Celſiniarum, in Arvernia, Procurator Generalis Ordinis, & poſtmodum Abbas Cluniacenſis; rexit Collegium, anno 1395 Quatuor poſtmodum unà fuêre Rectores ſeu Adminiſtratores Gymnaſii, ſic enim ſinguli appellantur, in ſchedis quibuſdam. Domnus *Ioannes Bordeti*, Decanus Cluniaci, tanquam Præſes. D. *Petrus Alvergnaci*, Prior de Petra, cui rationes reddebantur. D. *Antonius Meyreſii*. Promus, à quo rationes reddebantur Domno *Alvergnaci*, præſente Decano. D. *Robertus de Furno*, Adminiſtrator Prioratuum de Tincto & de Greſaco, & litium defenſor. Quatuor hi Adminiſtrarunt Gymnaſium ab anno 1396. ad annum. 1400 D. *Iacobus Vedocii*, Prior de Gigors Rector erat, anno 1402 D. *Bertrandus de Alegno*, Prior de Gordaneis, rexit per duos annos, poſt *Iacobum Vedocii*.
RAYMUNDUS DE CADOENA, ſucceſſit Joanni de Coſan, anno 1400	D. *Robertus de Furno*, Prior de Rampone, & poſteà Prior de Urro, & dein

ABBATES.	RECTORES.
	Decanus de Lebuno in Sanguine-terſo, demúmque Epiſcopus Siſtaricenſis, primas partes Rectoris habuit, ab anno 1400. ad annum 1411. Confirmatur in Officio in annum 1612. & per novam Procurationem, datam ab Abbate Raymundo de Cadoena, in annum 1413
ROBERTUS D'ESCHAUDESOLES, ſucceſſit Raymundo de Cadoena, anno 1416	D. *Guido de la Broſſe*, Sacriſta Monaſterii oppidi Sancti Spiritûs, Rector fuit, anno 1415
	D. *Humbertus Bechetti*, & D. *Petrus Perrini*, & D. *Ioannes de Fonte* Prior Riomenſis, qui in chartis quibuſdam ſcribitur Rector, procurarunt Collegii res, ab anno 1418. ad annum 1428
	D. *Simon de Ronchivol*, Prior Carilocі, in Diœceſi Matiſconenſi, Rector fuit in annos novem, anno 1428
	D. *Franciſcus de Greillac*, Prior Sanctæ Margaretæ de Varennes, in Diœceſi Magalonenſi, Rector fuit item in annos novem, anno 1438
	Amotus eſt ab officio, poſt annos quinque.
ODDO II. Succedit Roberto d'Eſchaudeſoles, anno 1424	D. *Ioannes de Tholigny*, Prior de Quercu, in Sabaudia, & deinde Prior de Rumiliaco, tum verò Prior Sancti Andreæ de Roſans, & Cantor in Abbatia Sancti Andreæ ad Avenionem, Rector nominatur ab Abbate Cluniacenſi, in annos viginti. 1443
	Abrogatur illi præfectura poſt annos decem, & ab Abbate Oddone II. mittitur Avenionem Rector in ejus locum.
	D. *Galterius de Fallerenco*, Sacriſta Gymnaſii Sancti Martialis, cujus ſtabilitur Rector, anno 1453
	Et movetur Rectoratu. 1455
	Quo tempore, Abbas Oddo præſcribit regendum olim Gymnaſium ab annuo Procuratore, qui eligetur à Monachis Collegii, & Abbati probandus proponetur; & idem Oddo tradidit intereà gubernandum Collegium.
	D. *Claudio de Yteſiaco*, ſeu d'Uſés, in annum 1456

ABBATES.

Joannes de Borbonio, qui Epiſcopus erat Anicienſis, ſuccedit Oddoni II. anno 1457

RECTORES.

Procuratores Annui.

D. *Mondonus Lynabertus*, electus Procurator in annum 1457

D. *Guillelmus de Arconceio*, aliàs *Gibertus*, qui fuit Procurator anno 1458

Et iterum, anno 1465

Et anno 1467

Erat, ut habent ſchedæ, *Firmarius & Admodiator* perpetuus, Prioratûs de Tincto, id eſt redituum Redemptor.

D. *Albertus Petri*, Procurator fuit, anno 1459

D. *Laurentius Alberti*, Sacriſta Prioratûs de Podioleno, Procuravit Gymnaſium, annis 1460. & 1461

D. *Iacobus de Mouſſy*, Magnus Prior Cluniaci, miſſus fuit in Domum Sancti Martialis, ut ejus eſſet Reformator, & Pater Spiritualis, & Superior, anno 1464

Quo in Officio remanſit annis duodecim, totóque eo tempore, annui Procuratores qui curam gerebant rei domeſticæ, fuere qui ſequuntur.

D. *Ioannes Goffredi*, anno 1466

D. *Antonius de Damas*, anno 1468

D. *Ioannes de Horto*, (du Jardin) anno 1469

D. *Dionyſius Guiot*, Adminiſtrator Podioleni, anno 1470

D. *Raimundus de Coloncio*, Prior de Ruinar, in Delfinatu, anno 1471

Ii qui ſequuntur, Gymnaſium gubernarunt ſub nomine Rectoris.

D. *Claudius de Hagia*, (de la Haye) Sacriſta Cluniacenſis, & poſteà Abbas Thierenſis, Rector fuit, anno, 1476

D. *Nicolaus de Meſſiaco*, (de Meſſey) Prior Sancti Blaſii, in Diœceſi Anicienſi, & poſteà Prior de Cæſariſta, & Decanus Cluniaci, anno 1483 & annis ſequentibus.

D. *de Cluſel*, (ut opinari licet ex quadam ſcheda) Decanatûs Valenſolæ (ut vocant ibi) Gubernator, regebat, an. 1489

Duo externi, quorum alter vocabatur

ABBATES.

Jacobus d'Amboise, ſucceſſit Joanni de Borbonio, anno 1485

Godofredus d'Amboise, ſuccedit Jacobo d'Amboiſe, anno 1516

Aymardus de Gouffier, ſuccedit Godofredo d'Amboiſe, anno 1518

Joannes Cardinalis a Lotharingia, ſuccedit Aymardo de Gouffier, anno 1528

Carolus Cardinalis a Lotharingia, ſuccedit Joanni Cardinali à Lotharingia, anno 1550

Domnus Claudius a Guisia, qui jam Coadjutor erat, fuit Abbas, poſt mortem Caroli Cardinalis, anno 1577

Ludovicus Cardinalis a Guisia, ſuccedit Domno Claudio à Guiſia, anno 1612

Domnus Jacobus Veni d'Arbouse, ſuccedit Ludovico Cardinali à Guiſia, anno 1623

RECTORES.

Landric, alter verò vocabatur *Mondi*, huic Gubernatori reddebant ſumptuum rationes.

D. *Andreas Benotti*, invenitur fuiſſe Rector, anno 1502

D. *Ioannes de Viſulio*, Sacriſta Domûs Sancti Martialis, & poſteà Prior de Ganagobia, in Diœceſi Siſtaricenſi, inſtituitur Rector à Jacobo d'Amboiſe, confirmatur in eodem Officio, ab Godofredo d'Amboiſe, & ab Aymardo de Gouffier. Incipit regere, anno 1507 Rexit per annos viginti.

D. *Michaël de Montemagnono*, nominatur Rector, anno 1529 Revocatur ab Officio, anno 1550 à Domno *Ioanne du Blé*, Vicario Generali Caroli Cardinalis à Lotharingia.

D. *Petrus Iſnardi*, Sacriſta & Gubernator Decanatûs Valenſolæ, Vicarius item Generalis ejus Cardinalis, in Provincia & Comitatu Venceſſino, creatur Rector, anno 1550

D. *Joannes Laurentii*, (de Laurens,) Sacriſta Domûs Sancti Martialis, Rector fuit, anno 1560

D. *Claudius Laurentius*, (Laurent) Sacriſta item Domûs Sancti Martialis, deinde Prior de Aleſio, in Delfinatu, & Major Prior Cluniaci, Rector erat, anno 1577

D. *Antonius Roſſet*, Prior Sancti Andreæ de Roſans, & Sacriſta Domûs Sancti Martialis, creatur Rector à Domno Claudio à Guiſia, anno 1601 primò in annos novem, dein, antequam expiraſſent hi novem anni, confirmatur, ex pacto cum eodem Abbate, in annos tredecim. Sed cùm Abbas idem fatis conceſſiſſet, ante quàm ii abjiſſent anni tredecim.

D. *Franciſcus de la Cour*, Prior Sancti Deſiderii, efficitur Rector ab Abbate Cardinali à Guiſia, anno 1612 hic moritur anno 1615. in oppido *Bagnols*, cùm rediret Podioleno, ubi inivérat poſſeſſionem Rectoratûs. Ab ejus obitu

ABBATES.

JOANNES-ARMANDUS CARDINALIS DE RICHELIEU, ſuccedit Dom. Jacobo Veni-d'Arbouſe, anno 1619

ARMANDUS DE BOURBON PRINCEPS DE CONTY, ſuccedit Cardinali Richelio, anno 1643

JULIUS CARDINALIS MAZARINI, ſuccedit cedenti Principi de Conty, anno 1655

RINALDUS CARDINALIS D'ESTE, ſuccedit Cardinali Mazarino, an. 1662

EMMANUEL THEODOSIUS DE TURRE-ARVERNIÆ, CARDINALIS BULLIONIUS, ſuccedit Cardinali d'Eſte, anno 1683

RECTORES.

obitu, idem *Antonius Roſſet*, remanſit Rector, quo in officio confirmatus eſt à Cardinali Richelio, iiſdem conditionibus, quibus alii Abbates eam Adminiſtrationem ipſimet *Roſſeto* tradiderant: Idem à tribus Abbatibus petiit habuitque Officii Rectoris Procurationem, quam ſategit ſibi confirmari à tribus Pontificibus.

D. *Petrus d'Aymard*, Major Prior & Decanus Abbatiæ Sancti Andreæ ad Avenionem, collocatur in Rectoratu à novo Abbate, Sereniſſimo Principe de Conty, anno 1643
Et ex ejuſdem revocatione, facta ab eodem Abbate Principe.

D. *Gaſpar de Simiane de la Coſte*, Prior de Bonieux, accipit Gymnaſii Procurationem ab Principe eodem; anno 1648 quam deinceps curat ratam haberi à Cardinalibus Abbatibus Mazarino, Eſtenſi, & Bullionio.

D. *Honoratus de Longe-Combe de Peſieu*, Prior de Quercu, Viſitator & Vicarius Generalis in Ordine Cluniacenſi, nominatur in Rectorem, anno 1686

Abbas Jacobus de Cauſſans, quod Deceſſores ſui conſilium iniverant Fundandi Avenione Collegii, executioni mandavit, Bullámque, in eam rem, obtinuit ab Clemente VII. non ita multò poſt quàm creatus is fuerat Pontifex, datam in Spelunca Cajetanæ diœceſis xi. Kal. Maii, 1378. In qua Bulla Pontifex, domum, quàm Abbas Cluniacenſis habebat Avenione, erigit in Collegium, & impertit facultatem eidem Abbati, aſſignandi varia Ordinis Beneficia, ex quorum proventu, ſumma conficiatur mille florenorum auri quot annis, ad ſuſtentandos Monachos ibi olim operam daturos Literis & Juri Canonico; Item, ſtatuendi ſeu ordinandi, de conſilio Petri de Croſo Archiepiſcopi Arelatenſis & Camerarii Papæ, quo modo, & à quo Collegium deberet regi, & conſtruendi Eccleſiam cum Campanili.

Cùm deinde Pontifex ex Regno Neapolitano Avenionem veniſſet, illi Abbas Jacobus authenticum obtulit Inſtrumentum, quod confecerat de conſenſu ejuſdem Petri Archiepiſcopi. In eo Inſtrumento, duo ſunt articuli, in quorum altero habetur quòd Abbas, vi Bullæ Pontificiæ, univerat, ut ajunt, tres Prioratus, ſcilicet, Prioratum de Podioleno, de Tincto, & de Greſaco, ad fundationem novi Collegii; in altero verò habetur, quod Abbas idem gubernationem ejus Collegii gerendam dederat Procuratori ſuo Generali, in Curia Pontificis, donec aliter ordinaſſet, & Statuta maturè condidiſſet.

Relatione factâ Inſtrumenti hujus coram Clemente, is anno 2. Pontificatûs ſui anno nempe 1379. alteram Bullam emiſit, quâ propriè continetur conſummatio fundationis ejus Collegii. Ibi Pontifex probat confirmátque, quidquid in eo ſcri-

Digitized by Google

pto geſtum ab Abbate recitatur, cujus ſcripti tenorem integrum & de verbo ad verbum, Bullæ ſuæ inſerit; & quoniam prædictum Abbatis Inſtrumentum confectum fuerat vi Bullæ Prioris, quam Pontifex in Diœceſi Cajetana promulgaverat, Bulla eadem, ad extenſum ſeu integra ibidem inſerta eſt; ita ut tria illa Acta, ſcilicet prior Bulla ad Cajetam data, Inſtrumentum ab Abbate confectum & oblatum Pontifici, & Bulla poſterior data Avenione, unicum deinceps quaſi corpus confecerint, quæ omnia recitata & publicata fuere, *in retrocamera Theſaurariæ Pontificis*, à Notariis, *Roſſetti*, & *Picardi*, teſtibus præſentibus, multiſque Prælatis & Domeſticis Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, die tertiâ decimâ Decembris 1379.

En quod habemus certi, in Archiviis Abbatiæ Cluniacenſis, de fundatione hujus Collegii, cum exemplo authentico trium quæ retulimus Actorum, quæ ita in unum veluti corpus coaluerunt, ut ſejuncta nunquam fuerint ampliùs: cui, quod habemus, Exemplo nova vel inde autoritas accedit, quòd recognitum illud Avenione fuerit, ad preces usúmque D. Begonis de Murato, qui ſecundus rexit Collegium, anno 1390. ſubſcriptúmque ſit à *Pontio de Blino*, Notario.

Ex quo obſervare pronum eſt, non Pontificem fuiſſe qui fundavit Collegium Sancti Martialis, ſed Abbatem Cluniacenſem, qui Domum ſuam quam Avenione acquiſiverat partim permutatione, numeratâ partim pecuniâ, non ſolùm ad id contulit, ſed omnes etiam reditus, ex addictis, & unitis, ut nunc loquuntur illi Collegio, variis Prioratibus Ordinis & omnia Bona donavit, quibus etiamnum id Collegium fruitur; (ſi Legata quædam excipias à quibuſdam relicta Cardinalibus, qui diu, dum viverent, pinguia poſſederant Ordinis Cluniacenſis ſacerdotia; & ab uno Clerico Cameræ Apoſtolicæ.) Cujus rei teſtem habemus idoneum certè & locupletem, ipſum nempe Pontificem, ſic aïentem in Bulla ſua, de Abbate Cluniacenſi: *De bonis, à Deo ſibi collatis, acquiſivit, univit, & incorporavit prædicto Monaſterio.*

Poſt publicationem Bullæ, Abbas Jacobus è variis domibus Ordinis juſſit Avenionem tranſire Monachos, qui prima ponerent initia Collegii, Literis & Choro ſedulam navantes operam. Quatuor pòſt annis, anno nempe 1383. Idem Abbas Statuta condidit, quæ vel eò magis authentica ſunt, quò relata reperiuntur, de verbo ad verbum, in Statutis, factis longo pòſt tempore, ab Abbate Oddone II. nimirum anno Domini 1447.

Ii, qui in labantis cauſæ ſuæ præſidium, contendunt Rectoratum hujus Collegii erectum fuiſſe, in Titulum Beneficii; nituntur unicè Statutis quibuſdam ſuppoſititiis, quæ Statuta volunt edita fuiſſe ab ipſómet Abbate Jacobo, tredecim pòſt diebus quàm Bulla evulgata eſt; die ſcilicet 26. Decemb. 1379. Nam in uno eorum, claris verbis habetur: *Rectorem hujus Collegii poſſeſſurum eſſe Rectoratum, in Titulum Beneficii Perpetui.* Non immorabimur hoc loco, in demonſtranda falſitate horum Statutorum, quæ ignota prorſus fuere ipſi Jacobo Abbati, (quem tamen ipſorum authorem fuiſſe pertendunt adverſarii,) qui nempe Jacobus vera condidit vulgavitque Statuta; quatuor, ut diximus, pòſt annis à Fundatione Collegii, de quorum veritate planè eſt nefas ambigere. Sanè commentitia illa Statuta, tam infabrè, tam inconſideranter imò tam ſtolidè compacta ſunt, tot abſurdis ſcatent nugis, contradictionibus, & inconſequentiis, viſum ut fuerit plenam eorum edere confutationem, in calce hujus hiſtoriæ; ne filum ejus, ſtatim à principio, abrupiſſe videamur.

Atenim, quamvis ipſa veritas Statutorum authenticorum quæ Jacobus Abbas in uſum Collegii ſui condidit, anno Domini 1383. quatuor annis ab ipſius fundatione, ſola ſufficiat ad demonſtrandam falſitatem, eorum Statutorum quæ tam ineptè ſupponunt adverſarii fuiſſe facta & emiſſa ab eodem Abbate, paucis die-

Digitized by Google

bus poſt ſecundam Bullam à Clemente VII. publicatam ; faciamus & nos, & ut in ſcholis dicitur, demus ad tempus, ea Statuta, quæ luce clariùs oſtenſuri ſumus eſſe adulterina, facta ex vero & evulgata fuiſſe, ut volunt patroni falſitatis ; *in retrocamera Theſauraria Pontificis*, & videamus quid magnopere factum ſit, vi commentitiorum ſtatutorum hujuſmodi, vidente & ſciente tum Pontifice, tum Archiepiſcopo Arelatenſi, de cujus conſilio juſſerat Pontifex ut Abbas Cluniacenſis Statuta conficeret, pro futuri regimine Collegii.

Qui producunt & tuentur falſam illam & inconditam Statutorum farraginem, volunt imprimis tredecim diebus ab emiſſione Bullæ, emiſſa etiam fuiſſe Statuta illa, in quorum uno decernitur Rectoratum Collegii Sancti Martialis fore Titulum Beneficii Perpetui. Nullus igitur dubitandi eſt locus quin viſuri ſtatim ſimus executionem ejus ſtatuti, quod & Pontificiæ Bullæ contrarium eſt, & illâ eâdem Bullâ ſupponitur eſſe tempore poſterius. Illud eſt certè quod quivis, qui quidem rationis compos ſit, expectare debeat ab ea poſitione, quam hîc, datâ operâ, non abnuimus : eâ enim datâ, & non conceſsâ, neceſſitate omnimodâ conſequitur primum Collegii hujus Rectorem Inſtitutum fuiſſe in Titulum Perpetui Beneficii.

Verùm, quis non miretur ? alia prorſus omnia videas. Sermo enim, poſt ea ſtatuta, de Rectore nullus, nullus de Beneficio in Titulum ! Solùm in Statutis veris ab Jacobo Abbate editis, anno 1383. id eſt quatuor annis pòſt falſa quàm ſtatuta ſupponuntur publicata, is Abbas, Statuto 13. ita loquitur, de primo qui gubernavit Collegium Sancti Martialis : *Omnes erunt principaliter ſub obedientia & regimine Prioris de Guilleſtra, qui diſponet de omnibus, juxta ejus voluntatem.* Id verò quid erat aliud quàm eum Priorem de Guilleſtra in Officio confirmare, quod idem Abbas illi antè commiſerat, gerendum unà cum Officio Procuratoris ſui, & Ordinis Cluniacenſis in Curia Romana ? Si, eo tempore, is Rectoratus erat Titulus Beneficii perpetui, cur Abbas non ſtatuebat undè & ſimpliciter in hunc modum : *Omnes obedient ſuo Priori ſeu Rectori Collegii Sancti Martialis* ? cur verò contrà diceret : *Omnes erunt ſub obedientia Prioris de Guilleſtra ?*

Is Prior de Guilleſtra vocabatur D. Jacobus de Cadola . qui inſuper Cantor erat Monaſterii Sancti Andreæ Villanovæ ad Avenionem, quod Monaſterium aggregatum tunc erat Congregationi Cluniacenſi ; undè is Prior, Beneficia duo, ut vocant, Conventualia poſſidere non poterat, ſine diſpenſatione. Poſſediſſet verò ſi Rectoratus Collegii Sancti Martialis, fuiſſet Titulus Beneficii, & facta uſpiam fuiſſet mentio ejus neceſſariæ diſpenſationis. Sed quod rem totam dirimit, iſtud nempe eſt. In actis omnibus quibus ſubſcripſiſſe invenitur is Prior, nunquam ſe aut Rectorem appellat aut Superiorem in Titulum hujus Collegii, ſed tantùm, Priorem de Guilleſtra, & Procuratorem Abbatis Cluniacenſis pro Adminiſtratione Collegii Sancti Martialis. Cauſa eſt in promtu propter quam ita ſubſcriberet, non amabat ſcilicet ſibi arrogare nomina Dignitatis quâ inſignitus non erat. Porrò nomen Rectoris in Titulum Collegii Sancti Martialis, ne notum quidem ipſi tunc erat, quod ſi fuiſſet, uſurpaſſet ille, in Actis, quæ confecit pro negotiis Collegii. En quomodo ſubſcribit in ſyngrapha ; quâ teſtatur ſe recepiſſe annuam Penſionem, quam Abbas Sancti Martialis Lemovicenſis, debebat Collegio Sancti Martialis Avenionenſis : anno 1386. *Prior de Guilleſtra*, PROCURATOR & ADMINISTRATOR, ac PROCURATORIO & ADMINISTRATORIO NOMINIBUS, *Domûs Sancti Martialis de novo inſtituta.*

Videamus jam, ſi ex iis quæ ſuperſunt de hoc Rectore monumentis, in Archivio Abbatiæ Cluniacenſis, colligi poſſit, ipſum, eam Domum gubernaſſe tanquam ejus Rectorem in Titulum, an verò tanquam merum Oeconomum, deputatum ab Abbate Cluniacenſi ad regimen ejus Collegii. *Anno Domini* 1382. *menſe Octobris*, (ſic habet Diarium D. Begonis de Murato) *Domnus Iacobus bonæ memoriæ*,

B ij

Abbas Cluniacenſis, facto finali computo cum Priore de Guilleſtra, Procuratore Ordinis Cluniacenſis in Curia Romana, de omnibus quæ receperat & ſolverat pro Domino Abbate, & pro Collegio Sancti Martialis, uſque ad diem ultimam dicti menſis Octobris, Domnum Priorem quitavit, & recognovit ſe debere eidem Priori penſionem ſeu Vadia debita pro anno 1382. Quis unquam fando audivit eum, qui rite Proviſus fuerit de Beneficio in Titulum, ſe reddendis rationibus fateri obnoxium cuipiam Abbati, ipſiúſque ſtipendiarium, pro Adminiſtratione illius ejuſdem Beneficii quod poſſidet in Titulum?

Poſt quam Quitanciam, ſic habet reddita ratio expenſarum, *Domnus Prior de Guilleſtra ſummas infraſcriptas recepit, & fecit expenſas, pro dicto Domino Abbate, & dicto Collegio....*

Die verò ſextâ menſis Iulii 1383. *Domnus Iacobus bonæ memoriæ migravit ad Dominum Avenione in Collegio Sancti Martialis, & fuit demum proviſum de dicto Monaſterio*, id eſt, de Abbatia Cluniacenſi, *Domno Ioanni Abbati Moderno, die ſeptimâ Auguſti.* De cujus beneplacito et voluntate, *Prior de Guilleſtra*, officium Procurationis *exercuit*, Gubernationem dicti Collegii *habuit & alia negotia fecit & procuravit pro Domino Abbate, ſicut faciebat tempore ſui prædeceſſoris.* Oſtendant ii, qui volunt Rectoratum Collegii Sancti Martialis eſſe Titulum Beneficii, viſum fuiſſe aliquando in Ordine Cluniacenſi, aliquem, qui proviſus fuiſſet de quocunque Beneficio in Titulum; quique opus habuerit, defuncto Abbate, confirmatione Abbatis novi, ad poſſidendum & adminiſtrandum illud idem ſuum Beneficium in Titulum, in quo prætereà, ea confirmatio valeat ſolùm: De Beneplacito et voluntate Abbatis.

Idem Ioannes Abbas, examinatis computis Religioſi viri Domini Iacobi de Cadola, de omnibus quæ recepit & ſolvit tam pro Ipſo quàm pro Collegio Sancti Martialis noviter fundato, ultra penſionem ſibi aſſignatam, annis ſingulis, per Dominum Abbatem, eumdem Priorem quitavit. En verba, ejus ſyngraphæ quam dat Abbas, in teſtimonium factæ ſibi integræ ſolutionis. *Notum facimus quod Prior de Guilleſtra Procurator noſtri Ordinis in Curia Romana*, &c. *Nobis reddidit Computum de expenſis in reparatione Domûs noſtræ Collegii Sancti Martialis, & pro Scholaribus quos in Avenione tenemus, quæ omnia in duobus quaternis ipſius manu propriâ ſcriptis continentur*, &c. *Datum in Caſtro noſtro Boutavant, ſub parvo ſigillo rotundo, in abſentia magni.*

Ipſa etiam penſio, ſeu ſtipendium, de quo hic ſermo eſt, datum huic primo Adminiſtratori Collegii Sancti Martialis, nova eſt demonſtratio, eum non geſſiſſe hanc præfecturam in Titulum Beneficii, ſed tanquam nudum & ſimplex Officium, cujus ea penſio erat ſalarium. Sicut & quod ibidem dicit Abbas, Monachos Collegii ſuſtentari ſumptibus ipſius Abbatis, probat evidenter idem Collegium, ſpectare, nullo medio, ad Abbatem Cluniacenſem, quandoquidem Religioſi, qui ibidem literis operam dabant, ex reditibus Abbatis alebantur.

Et re ipsâ, Domus illa nullos adhuc ſtabiles habebat reditus, & ex ſolo ære ſuſtentabatur quod ſubminiſtrabat Abbas Cluniacenſis; cùm Beneficia addicta huic Collegio, de quibus fit mentio in Bullis pro ejus fundatione, non tranſierint in ejus Collegii uſum, niſi longo pôſt tempore. Siquidem Cardinalis Anglicus potiebatur Prioratu de Tincto; quem addixit Collegio, anno 1383. reſervatâ ſibi penſione tam grandi, ut ea fructus ejus omnes conſumeret. *Quia unio Prioratûs de Tincto*, inquit Jacobus Abbas primo Statutorum quæ condidit anno 1383. *ſuum ſortita eſt effectum.*

Anno ſequenti 1384. Cardinalis Sanctæ Crucis in Jeruſalem addixit item Collegio Prioratum de Greſaco, quo fruebatur; retentâ etiam ſibi majori redituum parte.

Anno 1393. addictus Collegio fuit Prioratus Podioleni, à Cardinali de Agrifolio, pactâ ſibi tamen annuâ penſione quingentorum florenorum. Porrò quod attinet ad Prioratum de Conaux, nunquam is ceſſit in jus Collegii : eo quod interceſſum ſit à Priore oppidi Sancti Spiritûs, ajente reditus illius Prioratûs deſtinatos eſſe ad emundas veſtes Monachis Sanſpiritenſibus. Quî ergo fieri poterat, ut anno 1379. quo facta perhibentur Statuta commentitia, Rectoratus Collegii inſtitueretur in Titulum Beneficii, cui Collegio nulli tunc temporis aſſignati erant proventus certi, imò cui nulli propriè fuerunt addicti, niſi duodecim pòſt annis ? Adde quod, etiam ulteriùs expectandum fuerit, donec obirent Cardinales, qui magnas ſibi reſervarant penſiones ex reditibus Beneficiorum Cluniacenſis Ordinis quæ addixerant ſuſtentando Gymnaſio ; nam quamdiu ii vixerunt, ſolus fuit Abbas Cluniacenſis qui, ære ſuo benignè erogato, effecit ne Gymnaſium rueret.

En qualis erat Adminiſtratio hujúſce naſcentis Domûs, ſub regimine Jacobi de Cadola, qui toto tempore quo eam rexit, rationes factorum à ſe ſumptuum Cluniacum mittebat per Domnum Jacobum Vedocii, cum hoc titulo : *Computa pro Collegio Sancti Martialis, tranſmiſſa per me Priorem de Guilleſtra D. Abbati Cluniacenſi.* Si Rector in Titulum Collegii Sancti Martialis fuiſſet Cadola, cur ſe talem non nominaret in hujuſmodi ſcripto ? & cur ſe dicit ſolùm Priorem de Guilleſtra ?

Quidquod ? ne vel in ipſis Actis quæ in rem Gymnaſii tranſigit, Rectoris aut Prioris Collegii ſibi nomen aſſumit, ut vidimus de penſione quam Abbas Sancti Martialis Lemovicenſis debebat Gymnaſio Sancti Martialis Avenionenſis, quæ penſio dein commutata eſt cum reditibus Arelatenſibus. Monachis iterum Lemovicenſibus data fuit ſyngrapha in teſtimonium ſolutæ penſionis, ab ipſo Cadola & à Priore de Tournac, NOMINE ABBATIS CLUNIACENSIS, anno 1387. paulò antè quàm Cadola fatis concederet, cui nempe Cadolæ Abbas Joannes de Coſan qui tunc venerat Avenionem, ſocium Adminiſtrationis adjunxerat eum, quem dixi, Priorem de Tournac. Viſuntur amborum nomina in calce ſyngraphæ, in hunc modum : *D. Iac. de Cadola Prior de Guilleſtra. D. Raymundus Rabaſſe Prior de Tornaco.* Sed Cadola non ſubſcribit : Rector Collegii Sancti Martialis Avenionenſis.

Quod verò in oculis ponit, univerſum Gymnaſii jus penes unum Abbatem Cluniacenſem eſſe, iſtud quod ſubjicimus eſt : Abbas Joannes de Coſan qui tunc erat Avenione, dat ſolus in emphireoſim domos complures quæ ad Collegium Sancti Martialis ſpectabant, nullâ prorſus factâ mentione Rectoris aut Superioris ejuſdem Collegii.

Ex hactenus dictis luce clarius meridianâ fit, hunc Cadolam qui primus Domum Sancti Martialis Adminiſtravit, ejuſdem non fuiſſe Rectorem Titulo Beneficii.

Idem Abbas Joannes Domno Raymundo Rabaſſe dedit in mandatis ut rationarium ſtrueret omnium mobilium, quæ Domnus Jacobus de Cadola moriendo reliquerat Domui Sancti Martialis. In eo Inſtrumento, quod ſcriptum fuit in ipſo Gymnaſio, incredibile prorſus eſt, demortuum Cadolam nominandum non fuiſſe Collegii Rectorem aut Priorem aut etiam Superiorem, ſi reverâ illud gubernaſſet in Titulum Beneficii. Ecce tamen loquendi formulam quam is adhibet Raymundus ab Abbate delegatus : *Reperta ſunt in Collegio, relicta per Domnum Iacobum de Cadola Procuratorem in curia Romana.* Item, *reperta ſunt in camera ubi habitabat Prior de Guilleſtra.* Et ita de ceteris articulis, in quorum ne uno quidem, Cadola vel ſemel appellatur aut Rector aut Superior Collegii Sancti Martialis.

Anno 1389. Data fuit adminiſtratio Gymnaſii Domno Begoni de Murato, Procuratori item Ordinis Generali, qui Prior etiam erat Monaſterii Sanctæ Margaritæ de Elincuria, & fuit poſtmodum Abbas de Bernaïo. Geminæ ſuperſunt Chartæ authenticæ, in quibus, manu ſuâ, is ſcripſit ſumptuum rationes, non digeſtas ſolùm per annos, ſed per unamquamque hebdomadam. *Primus annus, ſecundus, tertius meæ* ADMINISTRATIONIS. Porrò, inſcriptum ſic eſt pro titulo hiſce rationibus: *Computa per Procuratorem Curiæ Romanæ, facta nomine Collegii Sancti Martialis.* Poſt quam ſic orditur: *Ego Bego de Murato, die decimâ Martii, incæpi* ADMINISTRATIONEM, *in Collegio Sancti Martialis.* Si ejus Collegii fuiſſet Bego, ut vocant, Titularis, dixiſſet certè: *Ego Bego de Murato, die decimâ Martii, poſſeſſionem inivi Beneficii mei.*

Bego idem, ob quædam Ordinis quæ gerebat negotia, Pariſios acceſſit, die trigeſimâ Auguſti, anno 1391. *Sciendum quòd ipsâ die acceſſi Pariſios, & Domnus Robertus fecit ADMINISTRATIONEM.* Is erat Robertus d'Eſchaudeſoles, tunc Monachus in Domo S. Martialis, non dicit Bego: ſe huic Roberto commiſiſſe procurationem Beneficii aut Rectoratûs ſui, quamdiu abſens eſſet; quod feciſſet certè, ſi is in Titulum geſſiſſet Rectoratum Collegii, ſed narrat ſolummodo in ſuis commentariis, quinam fuerint delegati ab Abbate Cluniacenſi ad adminiſtrandum Gymnaſium, per id temporis, quo, ipſe Bego fuit Lutetiæ. Ii fuere duo, ſcilicet is Robertus d'Eſchaudeſoles, & Domnus Arnaldus de Mazzeroliis, quibus Bego octingentos florenos reliquerat in arca, qui pro victu veſtitúque Monachorum inſumpti fuere, & pro Templi ſtructura. Bego Pariſiis reverſus eſt Avenionem, die decimâ Martii, 1392.

Deſiit Begonis hujus Adminiſtratio anno 1395, quam dum ageret, Abbas Cluniacenſis diviſit in varios ſæpe procurationem rerum Gymnaſii, dum fortè commodis & bono Domûs id opportunius eſſe vidiſſet. Siquidem in pacto quod intercesſit Pontificem inter & Abbatem Cluniacenſem, dum fuit Ordini reſtitutus Prioratus ad Pontemſorgiæ, memoratus Arnaldus de Mazzeroliis pro Abbate ſubſcripſit, cujus appellatur *Procurator pro rebus Collegii.* Idem de Mazzeroliis, ABBATIS EJUSDEM NOMINE, rationarium mobilium compegit quæ erant in Domo Podioleni, cum eâ Cardinalis de Agrifolio, ceſſit in jus perpetuum Gymnaſii. Et in ipſo perpetuæ ceſſionis & addictionis Inſtrumento, ſic habetur: *Præſente venerabili & circumſpecto viro, Domno Begone de Murato Procuratore Ordinis Cluniacenſis, ut aſſerit,* ADMINISTRATOREQUE *& gubernatore Collegii Monachorum Sancti Martialis,* VICE, ET NOMINE ABBATIS CLUNIACENSIS, CUI DICTUM COLLEGIUM, IMMEDIATE SUBESSE DIGNOSCITUR.

Fieri omnino nequit, ut qui ad has duas Begonis ſubſcriptiones mentem adverterit, cor habeat credendi eum Rectorem, alterum à Primo, Gymnaſii poſſeſſorem fuiſſe in Titulum Beneficii. Cùm ipſis oculis uſurpetur, Begonem ipſum conteſtari, ſe, *Procuratoriâ tantùm Abbatis poteſtate fungi*, & ut loquitur: VICE & NOMINE ABBATIS CLUNIACENSIS. CUI, ut pergit Bego, DICTUM COLLEGIUM IMMEDIATE SUBESSE DIGNOSCITUR. Id verò, cùm paciſcitur non cum homine quovis è medio, ſed cum uno è Purpuratis Patribus, id ſciente & vidente Pontifice, & ſub ipſum conſpectum totius Romanæ Curiæ.

Dicitur inſuper in Tabulis confectis cum Cardinali Sancti Martialis pro commutatione prædii de Monte-Oliveto: *Conſentientibus venerabili viro Fratre Begone de Murato, Magiſtro in ſacra Pagina, Priore ſanctæ Margaritæ Ordinis Cluniacenſis,* PROCURATORE ET PROCURATORIO NOMINE, *prædictorum Domini Abbatis, & Conventûs Monaſterii Cluniacenſis, & Nomine Procuratorio, quo ſuprà, & generaliter Adminiſtratorum venerabilis Collegii, Sancti Martialis, nunc de novo in Civitate Avenionenſi conſtructi & ædificati.*

Digitized by Google

Si fuiſſet Bego Gymnaſii Rector in Titulum, ſuo tantùm nomine pepigiſſet; profiteri verò, ſe pactum pangere, PROCURATORIO NOMINE PRÆDICTORUM DOMINI ABBATIS, ET CONVENTUS MONASTERII CLUNIACENSIS ET GENERALITER ADMINISTRATORUM VENERABILIS COLLEGII S. MARTIALIS, id verò, inquam, facere neque potuiſſet nec debuiſſet.

Extant prætereà chartæ duæ, anni 1394. quarum utrâque, ſua jam dictis fides & veritas magis aſſeritur. In altera Clemens VII. reſervans Cardinali de Monte-Cœlio reditus quos Abbas Cluniacenſis habebat Carpentoracte, quóſque Domui S. Martialis addixerat, dicit, id factum fuiſſe: *De mera liberalitate Abbatis Cluniacenſis*, & paulò pôſt Bego appellatur tantùm, *Adminiſtrator Gymnaſii S. Martialis*.

Continet altera ſeriem rei geſtæ, dum itum eſt ſecundò in poſſeſſionem Prioratûs Pontis-ſorgiæ, quando illum Abbati Cluniacenſi Clemens VII. idem reſtituit. Iniverunt eam poſſeſſionem Arnaldus de Mazzeroliis tanquam Procurator Abbatis, & Bego de Murato, & in ea primùm ſcheda ſubſcriptum viſitur & uſurpatum RECTORIS nomen, quod tunc datum eſt & adjunctum nomini Adminiſtratoris aut Procuratoris Gymnaſii. *Domnus Bego de Murato RECTOR ET ADMINISTRATOR Collegii Sancti Martialis & membrorum ejus.* Quod quidem Rectoris nomen cepit tunc primùm Bego, poſt annos quindecim à fundato Collegio. Quæ res non hîc debet oſcitanter legi, ſed quæ contrà valdè diligenter notanda eſt; nam, vel ex una ea re, jugulatur & planè concidit, cauſa eorum mendaciſſima & mendoſiſſima, qui falſa procuderunt Statuta, quæ ſupponunt fuiſſe publicata tredecim diebus poſt emiſſam Bullam de fundatione Collegii, & in quorum uno, volunt eum RECTORIS nomen, ejus Gymnaſiarchæ collatum fuiſſe, ſolemni formulâ, ſonantibus his verbis: *Perpetuum Beneficii Titulum, in ſuo RECTORIATUS Officio, obtineat.* Siquidem, ſi tantò antè hoc *Rectoris* nomen aſſignatum Gymnaſiarchæ Sancti Martialis & contributum fuerat, & quidem, per ſolemnem, ideóque vulgatiſſimam, quam (ut narrant) Pontifex ſanxiſſet publicationem, cur, amabò, eo *Rectoris* nomine tam religioſè abſtinuiſſent, in tot confectis tabulis, duo primi qui eam Domum rexerunt? à quibus ſanè uſurpandum potiſſimùm fuerat, primis illis quindecim annis, ſi talia Statuta extitiſſent quæ deblaterantur ab adverſariis, & quæ conficta fuiſſe à nuperrimo nebulone, audaciáne dicam an majori inſcientiâ, ſingulari diatribâ poſtmodum demonſtratur.

Poſt lecta quæ retulimus, ſi quis adhuc eſſet, qui contenderet, alterum hunc Rectorem geſſiſſe Rectoratum, ut Beneficii Titulum, næ ille non ſeriò loqui crederetur ab omnibus: & ſi id crederet, tum gratis omnino credere, tum non vir cordatus haberetur!

Robertus d'Eſchaudeſoles, admotus Rectoratui fuit anno 1395. Is ex Priore Celſiniarum, fuit Ordinis totius Procurator, quo nomine interfuit Synodo Conſtantienſi, qua in urbe accepit nuntium ſuæ electionis in Abbatem Cluniacenſem; admotus Rectoratui fuit, anno 1395. Reſtant redditæ ab eo rationes annorum 1396. 1397. & 1398. Domnus Joannes d'Eſtrage præfectus ab eo erat faciundo quotidiano ſumptui. Robertus, dum aſſumptus fuit in Priorem Celſiniarum, eò plures ſecum detulit libros qui erant Domûs Sancti Martialis, cujus Domûs Monachi eos ſibi libros petierunt reddi, poſt mortem Roberti anno 1424. Inventi ſunt ii ſeparati à libris ceteris, cum hac inſcriptione: *Ego Robertus d'Eſchaudeſoles humilis Prior Celſiniarum, tunc ADMINISTRATOR Collegii Sancti Martialis, attuli Celſinais*, Modus ille loquendi: *tunc Adminiſtrator*, probat manifeſtè, Abbatem Cluniacenſem tradidiſſe huic novo Rectori gubernationem Collegii, in annos tantùm illos tres, quorum ab eodem Rectore redditas rationes habemus; nam quamvis is Robertus, poſt eos tres annos, quorum ſpatio, Cluniacenſis Abbas illi curam Domûs Sancti Martialis commiſerat, in eadem

Digitized by Google

Domo reſtitiſſe inveniatur, per alios annos quatuor; (in annum ſcilicet 1401. quo ſuum adiit Prioratum Celſiniarum) nihilominus Abbas Joannes, Domnum Petrum Alvergnaci Priorem de Rampone, in Diœceſi Vivarienſi, præfecit Gymnaſio Rectorem, vel ipſo ibi præſente Roberto d'Eſchaudeſoles. Sunt Cluniaci redditæ rationes illi, quem diximus, Alvergnaci, annis 1398. 1399. & 1400. ab Domno Antonio Meyreſii Priore de Petra, & ſyngrapham legimus ejuſdem Alvergnaci Rectoris, teſtem rei bene geſtæ (· illo Meyreſii, anno 1400. Ubi hic ita ſcribit: *Habui Quitanciam de tota Adminiſtratione facta per me, per Venerabilem Patrem ac Dominum Petrum Alvergnaci, commiſſum ad hoc, per Reverendum Patrem ac Dominum Cluniacenſem, præſente Decano Cluniacenſi, & omnibus Religioſis de Collegio.* Quid igitur erant primi illi Rectores, niſi meri delegati ab Abbate Cluniacenſi ad regimen Collegii gerendum precariò? & pro ejuſdem Abbatis arbitrio miſſi Oeconomi?

Tres, eodem illo tempore, erant Adminiſtratores in Domo Sancti Martialis, ſumptus, numerato ære faciebat D. Antonius Meyreſii, D. Petrus Alvergnaci erat Procurator, & Domnus Joannes Bordeti Decanus Cluniacenſis, Præſes erat, Abbatis nomine: inde eſt quòd Meyreſii addat in redditis à ſe rationibus: *De Prato Bederide non computo, quia Dominus Decanus Cluniacenſis recepit loquerium pro aliquibus pecuniis, quas ſibi debebantur, per Dominum Priorem Celſiniarum,* cui Priori Celſiniarum Decanus Cluniacenſis eam (ut credere fas eſt) pecuniam mutuò dederat, cùm Prior ille, qui erat Robertus d'Eſchaudeſoles jam memoratus, Procurabat Sancti Martialis Gymnaſium.

Is tamen Meyreſii Rector unà nominatur cum eodem Joanne Bordeti Decano Cluniacenſi, in ſuperſtite ſcheda teſte ſoluti rite conventi pretii à Villico redemptore redituum Prioratûs Pontiſſorgiæ, die 2. Julii, anno 1400. quæ ſic habet: *Quòd Venerabiles & Religioſi viri Domini Ioannes Bordeti Decanus Monaſterii Cluniacenſis & Antonius Meyreſii Prior Prioratûs de Petra, Viennenſis Diœceſis, Rectores, Gubernatores, ſeu etiam Procuratores Collegii Sancti Martialis Avenionenſis confitentur ſe recepiſſe ſolutionem Arrendamenti Molendini apud Pontiſſorgiam ſiti, juxta conventiones inter Arrendatorem, & Procuratorem Domini Abbatis Cluniacenſis & Collegii Sancti Martialis.* Tertius ille Procurator, de quo hîc mentio fit, ſine dubio erat Domnus ille Petrus Alvergnaci, quem jam ſuprà memoravimus.

Anni duo & viginti elapſi jam fuerant à fundatione Gymnaſii, & ne leve quidem veſtigium, in ipſius regimine, Beneficii quod vocant in Titulum, viſum fuerat, aut tenue etiam ſimulacrum. Ii qui falſis nitentes Statutis, volunt eum Rectoratum, in ſuo ſaltèm exortu, verè creatum fuiſſe in verum Titulum Beneficii, ubi viderint ea quæ mox, ſummâ fide, retulimus, an facere poſſunt quin fateantur ſaltèm & nobis ultro dent: quamvis ea (quæ ſomniant) Statuta tam vera eſſent, ac nos eadem jam oſtendimus & pleniùs porrò oſtenſuri ſumus eſſe falſiſſima, ea, inquam, Statuta (ſi verè extitiſſent) vel in ipſis ſuis fuiſſe ſuffocata cunabulis, & non tantùm neglecta vel derelicta, ſed rejecta etiam fuiſſe penitùſque reprobata?

Quid verò habent quod reponant, quod quidem audiri dignum ſit, huic quam ultimò commemoravimus, gubernationi Collegii, diviſæ, eodem tempore, Adminiſtratoribus tribus ab Abbate Cluniacenſi?

Atenim, quaſi tres, eodem tempore illimet Domui præpoſiti Rectores, ſatis non eſſent ad evincendum eam Domum nunquam fuiſſe Titulum Beneficii, (quod ab uno ſolo poſſideri & quidem in perpetuum, cautum, certiſſimâ lege, ac ſancitum eſt.) En quartus Rector accedit nobis ſuppetias, hoc ipſo an. 1400. Domnus ſcilicet Robertus de Furno Procurator Quæſtórque Generalis totius Ordinis, à quo primæ

Rectoris

Digitized by Google

Rectoris geſtæ ſunt partes ab eo anno 1400. ad annum 1413. quique ſolus adminiſtrabat Prioratus de Tincto & de Greſaco, qui duo Prioratus jam tum erant aſſignati ſuſtentando Collegio. In ſcheda locationis cujuſdam domûs de Tincto, is, quem dico, Robertus ita ſubſcribit: *Prior de Rampone, Rector Prioratuum de Tincto & Greſaco, Procurator Generalis Ordinis Cluniacenſis, quemadmodum conſtat ex ipſius Procuratorio, Literis Patentibus Domini Ioannis de Coſano, datis anno* 1400.

Ipſémet Robertus de Furno negotia quædam Gymnaſii gerenda dedit Domno Guillelmo de Valentia, in literis porrò huic Guillelmo datis eam ob rem, ſubſcribit etiam Robertus, in hunc modum: *Procurator Reverendi Domini Raymundi Abbatis, ad regendum & gubernandum Collegium Sancti Martialis, & diverſa alia facienda.* Ii qui vellent hunc Robertum poſſediſſe, in Titulum Beneficii, *Procurationem regiminis Domûs Sancti Martialis*, conſequens eſt, ut velint etiam, eumdem Robertum geſſiſſe & poſſediſſe, *in Titulum* Beneficii, *Procurationem ad diverſa alia facienda pro Abbate*; nam Robertus ſciebat ſanè quis ipſe eſſet, & is, eodem loco ac numero habet, ſuam Procurationem Collegii, ſuámque Procurationem ceterarum Abbatis rerum gerendarum. Hæc conſequentia (quam defugere non poſſunt Adverſarii) riſu excipi digna eſt. Quid agas? has ſe in plagas induunt, qui falſa perſequi, quàm è falſo pedem referre malunt.

Verùm, ut nimiùm multis hîc Robertus negotiis diſtrahebatur, & quædam obortæ jam eſſent de eo querelæ, Abbas Raymundus curam illi ſolùm reliquit Prioratuum de Tincto & de Greſaco; & Gymnaſii curam aliorúmque prædiorum, quæ non procul Avenione aberant, alii tradidit.

Anno ſiquidem 1402. Domnus Jacobus Vedocii Prior de Gigors, in Diœceſi Dienſi, inſcribitur Rector, in charta quadam venditionis domûs ûnius in pago Pontiſſorgiæ.

Eodem anno, Abbas idem Raymundus Domnum Petrum Bajuli, Priorem de Fleuriac & Conneſtabilem (ut tunc appellabatur) Monaſterii Cluniacenſis mittit Avenionem, ad inſtruendum rationarium bonorum mobilium Domûs Sancti Martialis. *Præſentibus Domno Petro Alvergnaci, & Domno Antonio Meyreſii Cluniacenſibus Monachis, & dicti Collegii Sancti Martialis Procuratoribus, prout de ipſorum Procuratione conſtat, & ipſe Domnus Conneſtabilis unum poſt alium interrogavit.*

Provincia, quæ illi Conneſtabili fuerat demandata, pertinebat, ad multò plura; quamvis enim Domnus Vedocii (qui adjunctus aliàs fuerat Domno Begoni, ad deferendas Cluniacum, ſumptuum annuas rationes) Rector eſſet Gymnaſii; cum duobus Procuratoribus, Domno ſcilicet Alvergnaci, & Domno Meyreſii; idem tamen Conneſtabilis, vi Procurationis ſuæ, rem tranſegit, quæ vertebatur inter viros, quibus commiſſa fuerat executio rerum ab Cardinale Ambianenſi mandatarum, ſupremis ſuis tabulis; & inter Rectorem Domûs Sancti Martialis pro reſtitutione Montis-Oliveti ad Villam-Novam, & pro quodam reliquo ære, cujus debitor erat Cardinalis idem, Gymnaſio.

Graves tunc pervenerunt expoſtulationes ad Abbatem Cluniacenſem, de malo Roberti hujus regimine, annis quibus gubernarat 1404. 1405. 1406. 1407. & 1408. Mandatum eſt Decano Abbatiæ Sancti Andreæ ad Villam-Novam, ut ſuper ea Roberti accuſatione inquireret. Inſimulabatur: jura Abbatis in Macello de Greſac abalienaſſe: vendidiſſe domum ubi *Bajulus*, ut vocant, de Tincto habitabat: clàm habuiſſe Bullam Pontificiam, circa bona, quæ moriens Cardinalis de Agrifolio legaverat Domui S. Martialis, & de pravè geſtis pluribus aliis. Ex querelæ moverunt Abbatem Raymundum, ut Domnum Bertrandum de Cadoena fratris ſui filium, qui & Decanus erat Lehuni in Sanguine-Terſo, mitteret Avenionē unà cum

C D.Jo.Lar-

teſano, anno 1404. ad exigendas rationes à Roberto ; & ab eo recipiendas ſchedas omnes & ſyngraphas bonorum à Cardinalibus relictorum Gymnaſio, rerúmque aliarum ſpectantium ad eam Domum. Sed Robertus de Furno qui Generalis erat Ordinis Quæſtor, & maximè cognitas, longo uſu, habebat rationes ſingillatim rei rotius domeſticæ & fortunarum Gymnaſiii, is erat homo, quo nec facilè Abbates carere, & à quo difficiliùs ſeſe expedire poſſent.

Eo circiter tempore, Domnus Bertrandus de Alegno Prior de Gordanetis, in Diœceſi Narbonenſi, Rector fuit Collegii, quod ex Charta conſtat anni 1409. in qua, ſic legere eſt. *Domnus Raymundus Abbas Cluniacenſis inſtitnit Procuratores ſuos, ad lites Collegii Sancti Martialis, Domnum Bertrandum Rectorem, & Domnum Robertum de Furno Decanum de Lehuno in Sanguine-Terſo.*

Quantùm verò temporis, is Bertrandus rexerit Domum, docet ipſe nos Robertus de Furno, qui & Procurator Generalis, & potioribus fungebatur Rectoris partibus; nam dum reddit rationes ſuas, ſic dicit: *Dominus Prior de Gordanetis duobus annis tenuit Collegium.*

Anno 1406. Petrus Borreri Apoſtolicæ Cameræ Clericus, Domum Sancti Martialis bonorum ſuorum hæredem ex aſſe ſcripſit. Adſtitit vocatus Robertus de Furno, dum id Borreri teſtamentum reſignatum eſt, & in confectis ea de re tabulis, ſubſcriptus invenitur. *Robertus de Furno, Prior de Vrro, Procurator dicti Monaſterii ad Regendum & Gubernandam eumdem, per Reverendum Dominum Abbatem Raymundum.*

Ea verba: Procurator ad regendum, per Dominum Abbatem, rem decidunt clariſſimè, demonſtrántque eum Rectoratum nil aliud fuiſſe quàm Procurationem, ad nutum Abbatis.

In alio etiam Inſtrumento ubi agitur de hac eadem hæreditate, quæ Gymnaſio obvenerat, idem Robertus dicitur iterum: *Procurator, & nomine Procuratorio Collegii S. Martialis.*

Sedenim cùm Abbas huic Roberto non fideret, ob exortas adverſus eum varias querimonias, ob ſucceſſiones bonorum quæ à variis Cardinalibus Monaſterio Sancti Martialis obtigerant: proptereà injunxit Abbas, die 21. Julii anno 1406. tribus Procuratoribus, nimirum, D. Bertrando de Cadoena, D. Petro Alvergnaci, & D. Antonio Meyreſii, eam ut cernerent curarénque hæreditatem; quibus, (in eam rem) autoritatem ſuam commiſit omnem: *Procuratoribus, Monachis dicti Collegii hæredibus, & ipſius executionis Gubernatoribus.*

Abbas Cluniacenſis, in ſua illa Procuratione, nunquam tres eos Monachos hæredes appellaſſet, niſi, bona quæ in ſortem Gymnaſio adveniebant, accedere eadem conferentur Membro uni, Menſæ quam vocant Abbatis; qui, ob eam rem, eos appellabat hæredes, quos Procuratores ſuos ſtatuerat. Tantùm verò abeſt ut Gymnaſium Rector gubernaret, eo modo quo ſua *Titulares* (ut vocantur) gubernant Beneficia, quin is, qui tunc Domûs Rector erat Robertus, excluſus planè & nominatim fuerit ab ea hæreditate adeunda, cujus & cognitio & executio tota fuit penes tres eos, quos recitavi Monachos.

Anno 1408. Idem Robertus pactum fecit cum incolis Podioleni. Scheda rei teſtis ſupereſt in Domo Sancti Martialis. In ea ſic ſcriptum eſt: *inter Venerabilem & Religioſum virum D. Robertum de Furno, Priorem de Vrro, &c. Procuratorem & Receptorem Ordinis, tàm Cluniacenſis Monaſterii, quàm Sancti Martialis Avenionenſis, membrorúmque & jurium ejuſdem, per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum D. Raymundum Abbatem Monaſterii Cluniacenſis, prout mihi Notario publico infrà ſcripto legitimè conſtat, quibuſdam patentibus Literis in pergameno ſcriptis, cum ſigillo dicti D. Abbatis.* Si Rectoratus Gymnaſiii fuiſſet Titulus Beneficii, quid cauſæ eſſe poteſt, cur Notarius id non ſcripſiſſet? Quid verò cauſæ

Digitized by Google

eſſe poteſt cur tam clarè eum appellet: *Procuratorem Generalem Abbatis Cluniacenſis, tam pro toto Ordine, quàm ſingulariter pro Collegio S. Martialis*? niſi quia Notarii, qui frugi ſunt, res non ſcribunt niſi ex vero.

Anno 1409. Ludovicus II. Rex Neapolis & Provinciæ Comes, dedit Abbati Cluniacenſi regium diploma, quo, oppidum Podiolenum (quod pleno jure ad Abbatem ſpectat Cluniacenſem) tutum eſſet tum ab incurſu, tum etiam ab hoſpitio militum: In eo diplomate Robertus de Furno dicitur: *Procurator & receptor tam in toto Ordine Cluniacenſi, quàm Sancti Martialis Avenionenſis, & membrorum ejus*. Quâ re patet ſanè; datam Roberto, ab Abbate Cluniacenſi Procurationem Adminiſtrandi Gymnaſium Sancti Martialis, ejuſdem planè modi eſſe, cujus eſt Procuratio & Quæſtura totius Ordinis, quam certè ſciunt omnes & dari, mero nutu, ab Abbatibus, & ab iiſdem, pro arbitrio, revocari.

Certi homines, in quorum poteſtate diu fuerunt Archivia Collegii Sancti Martialis, ſubduxerunt (in rem ſuam ut par eſt credere) Proviſiones ſeu Literas faciendæ Procurationis datas ab Abbatibus Cluniacenſibus, iis qui primi Adminiſtraverunt idem Collegium, quandoquidem ibi nullæ omnino repertæ ſint. Atenim, quàm iniqua, tam fuit vana eorum, quos dixi, hominum cautio; cùm feliciter binæ ſuperſint, & nobis præ manibus ſint *Inſtitutiones* hujuſmodi *Procuratoriæ*, ex Archiviis extractæ Cluniacenſibus. Data fuit utraque D. Roberto de Furno. Prima eſt anni 1412. præter illam, quam ipſe Robertus ſe habuiſſe fatetur ab Abbate Cluniacenſi, anno 1400. Tenor primæ illius eſt in hunc modum:

Univerſis, &c. *Fr. Raymundus miſeratione divinâ Cluniacenſis Eccleſiæ miniſter Generalis. Salutem in Domino. Notum facimus quòd nos, revocando quoſcumque Procuratores & Receptores, ad infraſcripta, per nos aliàs conſtitutos, noſtri Monaſterii Sancti Martialis Avenionenſis, facimus, conſtituimus, & ordinamus Procuratorem, Receptorem, Factorem & Geſtorem ſpecialem, Venerabilem & cariſſimum Fratrem noſtrum Domnum Robertum de Furno Decanum noſtri Decanatûs Lebuns in Sanguine-Terſo*, &c. *Dantes & concedentes ſibi plenariam poteſtatem exigendi, recipiendi, jura, actiones & cetera ad cauſam executionum Reverendi in Chriſto Patris Cardinalis Arelatenſis & de Agrifolio; audiendi, impugnandi, approbandi*, &c. *Relevantes ipſum Procuratorem noſtrum ejuſdem Monaſterii Sancti Martialis ab onere ſatiſdandi, ſub obligatione omnium bonorum dicti noſtri Monaſterii*, &c. *In quorum teſtimonium*, &c. *Datum in Domo noſtra de Tornaco 23. Februarii 1412. more Gallicano ſumpta.*

Proviſio his terminis expreſſa habétne, quæſo, aliquid ſimile cum Proviſione Beneficii in Titulum collati?

Idem Raymundus Abbas, alteram eidem Roberto Inſtitutionem dedit Procuratoriam: *die penultimâ menſis Maii 1413. in Caſtro Lurduni.* Hæc altera reſpicit ſolùm bona Collegio Sancti Martialis data à Cardinalibus Ambianenſi & Pampilonenſi, facitque ſpecialem mentionem Prioratûs de Tincto.

Cui uſui aut cui bono nova hæc Procuratio, ſi fuiſſet Robertus Rector in Titulum hujus Collegii?

Vi hujus Procurationis, fecit Robertus tranſactionem, ut vocant, cum civibus oppidi de Tincto: *Procurator & Nomine Procuratorio Domini Raymundi Abbatis Cluniacenſis, & ſui Collegii Sancti Martialis.* Convênit item de certis quibuſdam rebus, cum civibus Turnonis: *Inter habitatores Turnonis*, (ut habet Inſtrumentum) *Dominum Abbatem, Rectorem & ceteros qui dictum Prioratum, EIUSDEM ABBATIS NOMINE, adminiſtrant.*

Tam longa ſingillatim narratio rerum geſtarum, ſub Adminiſtratione hujus Roberti, lectoribus creare poſſet faſtidium, niſi neceſſaria omnino videretur ad

oſtruendum os eorum, qui neque pudori neque religioni habent aſſerere: hujus Collegii Rectoratum, extitiſſe aliquando Titulum Beneficii.

Reſtat igitur ſolùm ut breviter referamus partem aliquam Rationum quas idem Robertus reddidit, quæ rationes ſingulatim totidem erunt probationes veritatis quam propugnamus.

Scriptæ ſunt rationes illæ cum hoc titulo: *Computa Domini Roberti de Furno Decani de Lehunio* 1400. *STANTE ADMINISTRATIONE, in Collegio Sancti Martialis.* Cur non dicit: *Rectoris Sancti Martialis*, ſi Rectoratus ille tam eſſet Titulus Beneficii, ac Decanatus Lehuni in Sanguine-Terſo? Et alio loco ſic loquitur: *Tempore quo fui* PROCURATOR *Domini mei in Collegio.* quod idem eſt, ac ſuperiùs dixerat, *Stante Adminiſtratione.*

Denique quamvis Robertus idem creatus fuiſſet Epiſcopus Siſtaricenſis, anno Domini 1413. non Propterea minùs Abbas Cluniacenſis promovit inquiſitiones quæ cœptæ in ipſum fuerant. Abbas igitur commiſit D. Bertrando de Alegno, & D. Joſſerando du Mont-la-Ferté ut ad calculos revocarent unà cum Roberto rationarium ſeu Inſtrumentum quod Robertus confecerat bonorum Mobilium Collegii. Dedit inſuper idem Abbas in mandatis eidem Bertrando de Alegno, ut ſe conferret Podiolenum ad audiendum ejus oppidi incolas qui conqueſti fuerant apud Abbatem Cluniacenſem, (quem reveritum vocant imò, ut verba ſonant, tremendum Dominum ſuum *leur redoutable Seigneur,*) de averſa malè pecunia à *Domino Decano*, quam pecuniam Abbas ipſi Decano crediderat ad inſtauranda Podioleni mœnia; de bonis multis ab eodem Decano diſtractis & abalienatis; & de rebus ab eo compluribus perversè geſtis, de quibus omnibus vocatus erat in judicium. Ubi notari dignum eſt, eos Podioleni incolas, dum queruntur de Roberto, illum appellare tantùm, *Dominum Decanum*, eò quòd reverâ tunc Decanus eſſet Lehuni in Sanguine-Terſo, *de Libons en San-ters*, nec unquam illum nominare Rectorem Collegii Sancti Martialis.

Robertus de Furno, quamvis tunc Siſtaricenſis eſſet Epiſcopus, non ideò minùs & objectis ſibi reſpondere, & ultimam exhibere *computorum* rationem de jure compulſus eſt: *Sequuntur computa Roberti de Furno, ab anno* 1409. *ad annum* 1411. *de mandato Domini mei Cluniacenſis, & ſequuntur ea, in quibus Ego Robertus de Furno Epiſcopus Siſtaricenſis Reverendo Domino meo debeo, Arrendamentorum Valenſolæ, & redituum ſibi pertinentium in territorio Arelatenſi.* Hi Reditus Arelatenſes, addicti jam erant Collegio Sancti Martialis, quos Robertus eodem loco habet, quo reditus Decanatûs Valenſolæ, qui de Menſa ſunt Abbatum Cluniacenſium. Inferiùs verò ſic legitur.

Recepta, à me Epiſcopo Siſtaricenſi, de bonis pertinentibus Collegio Sancti Martialis, in cauſa executionum à me Procuratarum, uſque ad 16. *Martii* 1413. *quo tempore finit* PROCURATORIUM *Reverendi in Chriſto Patris Domini mei.* Rectoratum igitur non adminiſtrabat niſi ad tempus, imò & ſe promptum paratúmque aſſerebat minuere, ſi quæ minuenda Abbati viderentur de iis, quæ ipſe Robertus ponebat in expenſis.

In eo ſcripto, quod Apologiam Roberti dicere poſſumus, in peculiari ponit articulo Nomina quæ mali debitores non erant exolvendo Monachis Sancti Martialis, quæ Nomina Robertus idem Abbati diligenter curaverat exponi, antequam iniret Rectoratum. *Sequuntur ea quæ expoſui ante ingreſſum OFFICII.* ante, inquit, quàm hoc inirem OFFICIUM, ſi Rectoratus ille fuiſſet Beneficium, rogo cur Robertus non dicat *ante ingreſſum BENEFICII?* ſubjungit: *Et quæ non potui habere de membris Collegii*, Et paulò pòſt: *Sequuntur ſolutiones factæ per me Epiſcopum Siſtaricenſem prout PROCURATOREM Domini mei Reverendi Abbatis Cluniacenſis, & ſui Collegii Sancti Martialis.*

Digitized by Google

Cùm Romani Pontifices ſedere deſiiſſent Avenione, ideóque nihil ampliùs cauſæ eſſet cur Abbates Cluniacenſes, ea in urbe haberent Generales Procuratores Ordinis, quibus Procuratoribus Collegii ſui regimen dederant: *Per Procuratorem ſuum donec aliter fuerit ordinatum.* Tunc certè locus fuit Abbatibus, in neceſſaria quæ tunc contigit mutatione Perſonæ, cui hactenus Adminiſtrationem illam commiſerant, aliud inducere genus regiminis, ſi illis ita viſum fuiſſet æquum eſſe aut opportunum; ſed tantùm abeſt ut, eo tempore, aut *Titulum* aut *Perpetuitatem* in Officium illud invexerint, quin potiùs longè deinceps magis, factis omnibus, oſtenderunt, omnimodam ſibi poteſtatem eſſe in illud Collegium, non ſecus ac in membra cetera, immediatè, ut dicitur, ad ſuam Abbatiam pertinentia.

Robertus d'Eſchaudeſoles novus Abbas, redux à Concilio Conſtantienſi, confirmavit Rectorem Collegii à ſuo Deceſſore conſtitutum, anno 1415. Is Rector erat Guido de la Broſſe Sacriſta Monaſterii oppidi Sancti Spiritûs, qui, quatuor tantùm vel quinque annos, eo munere functus eſt.

Siquidem anno 1419. idem Abbas Procuratorem ſuum inſtituit. D. Joannem de Fonte Priorem Riomenſem, ad acceptandam, *Abbatis Nomine*, Fundationem quam Alaſia de Uteſiaſo ſeu *d'Uzés*, uxor quondam tunc defuncti Guillelmi de Turnone, fecerat in templo B. Virginis de Tincto: *Cujus loci Adminiſtratio*, Verba ſunt hæc in Inſtrumento hujus Fundationis, *& regimen ad Dominum Abbatem Cluniacenſem, qui eſt pro tempore, pertinet.*

Anno 1423. Robertus Abbas paulò ante quàm è vivis excederet, provinciam demandavit Domno Joanni Mouſchon Decano Cluniacenſi, conferendi ſeſe in Collegium Sancti Martialis, ibique conficiendi Rationarium bonorum omnium Collegii, *ad hoc*, ut habet Mandatum Abbatis, *ſpecialiter Deputato.*

Podiolenum, eo tempore, certò & ab omnibus habebatur tanquam Beneficium, ſummo & omni jure proprietaris ſpectans ad Abbatem Cluniacenſem, & ab ipſo deſtinatum ſeu aſſignatum pro ſuſtentatione Monachorum & Scholaſticorum Collegii Sancti Martialis. Eodem enim anno 1423. Sifredus de Burgo-Judæo, Vicarius (ut vocant) ſeu Judex Mornaſii ſcitum tulit pro mola quadam quæ ſubrepta fuerat è molendino Podioleni, quo ſcito, coacti ſunt Rei ſatisfacere, *Abbati Cluniacenſi, Priori, Condomino, & directo Domino loci Podioleni.* Et cùm incolæ Mornaſii aprum venando occidiſſent in ſylvis Podioleni, *ejus caput (ſicut tenebantur) Domino Abbati Cluniacenſi, ad cauſam ſuæ Domûs de Podioleno, attulerunt.*

Is Robertus, qui Adminiſtrarat Collegium, antequam aſſumeretur in Abbatem Cluniacenſem, quamdiu Abbas fuit, ut vir erat gnavus & ſolers, ſolus propriè per ſemetipſum rexit Gymnaſium, & ſi cuipiam ejus gubernationem commiſit, is fuit Domnus Petrus Perrini qui ſcilicet in Necrologio Collegii, titulo inſignitur Rectoris; & paulò pòſt Abbas Oddo, Roberti ſucceſſor, demandavit provinciam Adminiſtrandi Gymnaſii, Domno Humberto Bechetti.

Oddo II. Abbas curas omnes impendit tum inſtaurandis bonis temporalibus, tum promovendæ in Gymnaſio diſciplinæ. In eam rem, opportunum fore exiſtimavit, ſi Rectorem ibi, ad certum quoddam tempus, conſtitueret, qui providere in futurum commodiùs poſſet, tum ad augendum rem familiarem, tum maximè ad inſtaurandum & amplificandum religionis & pietatis ſtudium.

Eâ mente, anno 1428. Gymnaſio præfecit Domnum Simonem de Ronchivol Priorem Cariloci, in annos novem. Ultimùm hîc monebimus Adminiſtrationem Collegii fermè ſemper datam fuiſſe Prioribus in Titulum alicujus alterius Monaſterii, ut vocant, Conventualis, nullúmque reperiri alicujus Pontificiæ Diſpenſationis veſtigium, quæ neceſſaria prorſus fuiſſet, ſi Rectoratus Collegii

Sancti Martialis fuiſſet etiam Titulus Beneficii, nam talia duo Beneficia ab uno eodémque homine poſſideri non poſſunt, de jure communi. Tenor literarum quibus is Rector inſtituitur, dignus eſt obſervari, iis enim literis perſpicuum omnino ſit, Perpetuitatem in hujuſmodi Officio Rectoris fuiſſe planè incognitam Abbati Oddoni, & ex iiſdem literis liquet, annis quinquaginta à Fundatione Gymnaſii, nihil prorſus innotuiſſe de commentitiis Statutis, anni (ut garriunt Adverſarii) 1379.

Univerſis. &c. Frater Odo, miſeratione divinâ, Cluniacenſis Eecleſiæ miniſter humilis. Notum facimus, quòd eùm ſecundum Fundationem, ſeu Ordinationem Fundatorum Monaſterii ſeu Collegii noſtri S. Martialis Avenionenſis, in quo duodecim Monachi & duodecim Studentes in Iure Canonico debeant perpetuò reſidere, & Adminiſtrationem & regimen dicti Collegii habere debeat, ac illi præſidere Procurator noſter, quem ad id duxerimus ordinandum, donec pro regimine Monaſterii prædicti fuerit aliter ordinatum; prout apparet per Literas Fundationis Apoſtolicas ſuper hoc confectas. Hinc eſt quod Nos, habitâ ſuper hoc deliberatione maturâ cum Primoribus Ordinis, pro evidenti neceſſitate & utilitate dicti noſtri Monaſterii ſeu Collegii; confidentes ad plenum, de ſufficientia, induſtria, & probitate venerabilis & cariſſimi Fratris noſtri, Domni Simonis de Ronchivol, Prioris domûs noſtræ Cariloci, præſentis &c. Committimus regimen & adminiſtrationem in Spiritualibus & temporalibus dicti noſtri Monaſterii ſive Collegii & omnium membrorum ſuorum, ſcilicet Domorum noſtrarum de Tincto, de Greſaco, de Podioleno, Ponte-Sorgiæ &c. Ac omnium proventuum eorumdem, hinc ad novem annos continuos & immediatè ſequentes, ſub pactis & conditionibus, &c. Propoſitæ porrò conditiones ſunt eæ quæ ſequuntur: Scholaſticos, quatuor tantùm numero fore, & octo Monachos ſoli Choro operam dantes, omnes ab Abbate deligendos, quorum numerus vel minuetur vel creſcet, Abbatis arbitratu: Rectorem nunquam poſſe, ſine expreſſo Abbatis conſenſu, cuiquam contribuere ſuæ partem Adminiſtrationis: Fore ut Rector, conceſſo ſibi contentus ſalario, omnes domorum, villarum & prædiorum neceſſarias reparationes procuret: ut tabulas quibus cenſus continentur Collegio debiti, ex integro inſtauret: ut rationarium det omnium in Gymnaſio mobilium bonorum, & in domibus quæ pendent à Gymnaſio: ut jus nominandi Scholaſticos & Monachos, item Beneficia conferendi, & relicta à Monachis defunctis bona percipiendi, bona itidem (ſi viſum è re ac bono Domûs fuerit) abalienandi, & alios mittendi in poſſeſſionem bonorum dependentium ſub aliquo cenſu, à Collegio, ad unum Abbatem pertineat: ut Rector, *exercendo Procurationem*, non poſſit accipere mutuò libras plus quàm quinquaginta, niſi obtentâ priùs Abbatis facultate: ut quoties fuerit juſſus, rationem eidem reddat Procurationis ſuæ, ipſíque reſtituat quidquid habuerit reſiduum pecuniæ. De cetero injungit Abbas ut Monachi morem gerant Rectori, &, *Quod tenebitur idem Simon nobis tradere bonos & ſufficientes Fidei-juſſores & Cautionem Burgenſem, qui ſe obligabunt pro ipſo.* Quod Rector, jurejurando, tactis ſacris Evangeliis, fidem det, ſtaturum ſe prædictis conditionibus, obligatis etiam annuis reditibus Prioratûs ſui Cariloci, ceteríſque omnibus bonis quæ ſui poſſent juris eſſe olim; & propterea ſe obnoxium fore cuicúnque Tribunali, tam Regali quàm Pontificio, ad quod eum Abbas maluerit citare, *ſine reclamatione*, ut habent Tabulæ. *Datum in noſtro Cluniacenſi Monaſterio, &c.*

Cùm fines is Rectot Procurationis ſuæ tranſgreſſus fuiſſet, faciendo obnoxium Molendinum de Tincto, Franciſco de Bragny J.V. Doctori, delegavit Abbas Oddo Priorem Sancti Nicolai de Muſaſco, & Priorem Sancti Saturnini de Saliers, cum poteſtate, irritam declarandi pactionem quam fecerat Prior Cariloci, quod illi de facto præſtitere.

Tranſactis dein anuis novem conceſſæ Adminiſtrationis Collegii Simoni de

Digitized by Google

Ronchivol, Abbas idem Oddo ſubſtituit in ejus locum, Domnum Franciſcum de Greillac Priorem Sanctæ Margaritæ de Varenne, Diœceſis Magalonenſis nunc Monſpelienſis, anno 1438. item in annos novem. Tabulæ Inſtitutionis eâdem ſunt fermè formulâ, quâ priores, dempto quod Monachorum numerus excreſcit ad quatuordecim: octo nimirum aſſignantur qui inſerviant Choro, & ſex qui dent operam ſtudio Literarum; conditiones etiam ſunt propemodum ſimiles, ſed hæc eſt ſingularis; nempe, ſi contingat novum Rectorem anſam conquerendi dare de ſua Adminiſtratione, tum Abbas & ejus ſucceſſores, *aut deputandi ab eis poſſint & valeant dictum Collegium & membra ejus ad manum ſuam ponere, & aliis regimen committere, ipſo non vocato, nec requiſito, & abſque cauſa cognitione, &c.* Verba ipſa ſunt Tabularum. Rectorem prætereà obſtrictum iri, ſi eum ab Abbate citari accidat, ſiſtere ſeſe ad omnia Regis tribunalia, & nominatim ad Curiam, quam dicunt parvi ſigilli Monſpelienſis, & ad Curiam Præſidialem Pariſienſem, quam vocant Caſtellectum, &c. *Datum in Caſtro de Lurduno, &c.*

Nonnulla occurrunt obſervanda in geminis hiſce Inſtitutionibus.

Prima ſit. Datam fuiſſe utramque ab Abbate Oddone peritiſſimo Inſtituti & uſûs & morum Cluniacenſis Ordinis, habito priùs maturo conſilio cum antiquioribus & primoribus Patrum, qui ferè omnes, primos Gymnaſii Rectores noverant, & quorum multi annorum eſſe triginta poterant, quando fundatum fuit Collegium; nulli tamen eorum veniſſe in mentem, Abbatem commonefacere, Rectoratum Collegii Sancti Martialis ab origine ſua fundatum fuiſſe in Titulum Beneficii perpetui, (quod volunt aſſertores falſorum Statutorum) quæ tamen commonefactio objeciſſet ſe vel invitis, ſi tunc temporis, alia decreta, circa Rectoris Inſtitutionem, nota fuiſſent quàm id quod ipſémet Oddo citat, ex vero Inſtrumento oblato Clementi VII. & ab eodem approbato, & ea Statuta XI. quæ, pro futura gubernatione Gymnaſii, Abbas Jacobus ediderat, an. 1383.

Secunda eſt hæc. Abbatem uti ſemper hâc voce, *Committimus*, quæ temporariam, & revocabilem ad nutum poteſtatem deſignat, nunquam verò uti voce, *Conferimus*, quam ſolemne eſt adhiberi, dum Beneficium datur plenæ & perpetuæ & non revocabilis juriſdictionis.

Tertia. Abbatem (quamquam daret Procurationem Gymnaſii, per annos novem, Adminiſtrandi) ſemper retinuiſſe jus & poteſtatem abrogandi præfecturam ſuis Procuratoribus, ante expletos eos annos, ſi ita fuiſſet collibitum, *ſine reclamatione Procuratoris*, ut tabulæ loquuntur, *& ſine cauſa cognitione.*

Quarta. Jus dandi & conferendi omnia Officia & Beneficia, & alia quæcúnque faciendi quæ pertinent ad Juriſdictionem (ut ajunt.) Immediatam in Gymnaſium & res univerſas Gymnaſii, integrum & incolume Abbati reſervari.

Quinta. Adigi Rectorem, ut det rerum in pactione promiſſarum idoneos vades, id eſt, opulentos cives qui facilè ſolvendo ſint. Id, *Cautionem Burgenſem*, vocant tabulæ.

Sexta. Reſiduum redituum Collegii, ſi qui ſuperent, deferendum eſſe Cluniacum, ut ſit in manu & poteſtate Abbatis.

Ultima denique. Poſſe Rectorem Gymnaſii citari ab Abbate vel ab ejus delegatis ad Tribunalia Regia, quibus commiſſa eſt cognitio cauſarum Cluniacenſium, ita ut juriſdictionem Tribunalium hujuſmodi declinare non poſſit.

Vix Franciſcus de Greillac duos ſuæ gubernationis annos exegerat, cùm variæ de illo, apud Abbatem Oddonem, querelæ extitere, quibus motus Abbas ſcripſit *ad Subpriorem, Sacriſtam, Scholaſticos & Monachos Collegii*, in hæc verba: *Quòd malè & infructuosè regit dictum noſtrum Collegium; Quòd non tenet ibidem numerum Religioſorum, &c. & quantùm eſt de perſona ſua, dicitur quod ipſe eſt bene levis in vita & moribus, imò quaſi nihil ſapit de Ordine & de Religione, & multi murmurant*

contra nos, quare non providemus dicto noſtro Collegio, de alio meliori, honeſtiori, & ſufficientiori Rectore; & propterea, præmiſſis attentis, nos ſumus intentionis, infra breve, cum Dei adjutorio, dicto noſtro Collegio providendi de meliori; & intendimus mittere numerum completum Religioſorum, tam in dicto Collegio, quàm in Domibus, iſtâ tamen mortalitate, quæ hic regnat, priùs ceſſante & purificatâ. Nos de principio, quando eidem commiſimus regimen dicti noſtri Collegii, credebamus ipſum eſſe virum bene providum, induſtrioſum, ſufficientem & idoneum, ad debitè ipſum Collegium regendum & gubernandum: ſed ipſe bonus homo non habet niſi verba, & paſcit homines verbis. Subjungit Abbas novum Rectorem non dediſſe, fidejuſſores, ut daturum ſe, etiam interpoſito Sacramento, ſpoponderat; nullum confeciſſe rationarium bonorum Collegii mobilium, multa bona, in grave damnum Collegii, tum oppigneraſſe tum vendidiſſe. Quapropter dat in mandatis omnibus Gymnaſii Monachis, ut eum, ex uſitato Forenſi ritu, interpellent de vade dando locuplete, & ſyngrapham uſurpent ſuæ teſtem interpellationi. *Et caſu quod ipſe (quod abſit) non adimpleat, infra tempus præſcriptum, omnia & ſingula per ipſum nobis jurata & promiſſa, & de quibus ſit mentio in* INSTRUMENTO ARRENDAMENTI, *per Nos eidem facti, de quo* ARRENDAMENTO *Ipſe habet duplum.* Jubet, ut ſe Abbatem Monachi ſtatim certiorem faciant, quâ ratione exceptum fuerit à Rectore præſens mandatum. *Datum in Caſtro Lurduni 1. Oct. 1440. Oddo.*

Monachi has Literas Greillaco Rectori ſuo in manus dederunt. *Qui incontinenti* (ut habent Tabulæ) *reſpondit dictis requirentibus: quod ipſe Dominus Rector faceret debitum ſuum, erga dictum Monaſterium, de quibus petierunt Religioſi ſibi fieri Inſtrumentum.* Quod de facto ſtatim confectum fuit; nec objecit Greillacus: datum fuiſſe ſibi Rectoratum in annos novem, quorum duo tantùm abierant; & multò minùs reſpondit: Rectoratum ſuum non eſſe ARRENDAMENTUM, ſed Beneficium eſſe Perpetuum.

Nimiùm verè de Greillaci regimine expoſtulatum fuerat, undè optimus vindex Oddo illum abdicavit Magiſtratu, ſolidis quatuor annis, ante præfinitum tempus annorum novem, cùm creatus fuerat Rector.

Suffectus eſt in Greillaci locum, anno 1443. Domnus Joannes de Tholigny, in annos viginti, in chartis nonnullis appellatur: *Vicarius Abbatis Cluniacenſis ad regendos Scholares.* Is erat Cantor in Abbatia Sancti Andreæ ad Avenionem, & Prior de Quercu, in Sabaudia, quo Prioratu ſimplici (ut vocant) potitur Domnus de Peſieu, qui & ipſe Rector nunc eſt Collegii Sancti Martialis.

Literæ, quibus is Joannes præficitur regendæ Domui, eaſdem continent conditiones, quas in literis deceſſorum ejus jam vidimus. Additum eſt: *Quòd idem Rector tenebitur in eodem Collegio facere reſidentiam perſonalem & continuam.* Quod nullam mutuò pecuniam ſumere poterit: quibus legibus niſi paruerit, poterit ab Officio revocari, ad Abbatis arbitrium. *Quòd Revocationem à dicto regimine dictus Rector ratam & gratam habebit, nec unquam contra Nos in judicio, vel extrà impugnabit quoquo modo directè, per ſe vel alium; ſub pœna quingentorum Ducatorum auri, per eundem nobis ſolvendorum, ante initium proceſſûs. Datum in Monaſterio Cluniacenſi, Capitulo ad ſonum campanæ propter hoc Congregato, 16. Martii 1443. more Gallico.*

Nihilo felicior fuit hujus Joannis gubernatio, quàm fuerat ipſius deceſſorum; de multis namque criminibus inſimulatus eſt à Monachis, & imprimis à Domno Joli Sacriſta Gymnaſii, quicum & Greillaco dejecto nuper de Rectoratu, magna intercedebat neceſſitudo.

Joannes de Tholigny ſibi non defuit quò in ſe contorta omnia accuſationum tela repelleret. Aſſervatur in Tabulario Cluniacenſi bene longa ipſius defenſio. Reſpondet primo loco: Sacriſtam virum eſſe crimincſum, qui, propter ſimultates

quas

quas gerebat cum D. Simone de Ronchivol Priore Cariloci; ſuo capitali in eum odio calumniiſque ſuis effecerat, ut is Simon, poſt definitum ſibi ab Abbate Cluniacenſi ſpatium Adminiſtrationis in novem annos; ab ea revocatus abduceretur. Dicit poſteà eumdem Sacriſtam & Rectorem olim Greillacum, pretium venditorum prædiorum, quæ ſpectabant ad Collegium in pago de Margaritis ad Nemauſum, tanquam prædam & ſpolium inter ſe partitos fuiſſe: pro quibus bonis aſſerendis Gymnaſio, Rector non ita pridem Simon de Ronchivol nulli nec ſumptui nec operæ pepercerat. Pergit: ipſúmmet Sacriſtam jactaſſe palàm, facturum ſe ut non minùs ipſe de Tholigny amoveatur à Regimine Collegii, ac fecerat ut in eodem non perſiſteret Simon de Ronchivol. Recenſet demum ſigillatim omnes Gymnaſii proventus, tam in Comitatu Veneſſimo, quàm in aliis Provinciis, ut oſtendat perparum ſibi fuiſſe reliqui; quo ſe ſuſtentaret, deſinens his verbis: *Dictus Sacriſta nullam mentionem fecit de victu, ſtatúque & ſtipendio dicti moderni Rectoris, quia ipſe Iolt benè vellet quod ipſe Rector viveret de vento, &c. ita eſt. De Tholigny.*

Delatæ fuerunt accuſationes adverſus hunc Rectorem ad Capitulum Generale, quod celebratum fuit Cluniaci, anno 1446. dum is de Tholigni tertium ſuæ Adminiſtrationis annum decurreret: & expenſis, maturo examine, omnibus accuſationum capitibus, Definitores pronunciarunt in hunc modum.

Super viſitatione Collegii Sancti Martialis Avenionenſis. Domini Definitores definiunt & ordinant, quia eiſdem conſtitit per contenta in Viſitationibus factis, tàm in dicto Collegio quàm in membris ſubjectis, tàm de bonorum dilapidatione ac redituum & poſſeſſionum perditione, nec non Eccleſiarum, domorum, & aliorum ædificiorum proſtratione, ac etiam divini cultûs omiſſione; quia cùm in dicto Collegio debeant eſſe octo Religioſi, pro divino ſervitio ſeu cultu, & ſex Scholares pro ſtudendo, & ſic quatuordecim in numero; tantùm reperti ſunt quatuor cum duobus Novitiis, quibus malè providetur in victualibus & veſtiariis, ac aliis ſuis juribus: & in cæteris membris ſubjectis, cultus divinus diminuitur, & ædificia, pro majori parte, minantur ruinam, ob culpam prædicti Rectoris & Adminiſtratoris dicti Collegii, qui tanquam mercenarius, cui oves non ſunt propriè commiſſa, ſe habet in adminiſtratione prædictorum: utpote quia campanas Eccleſiæ de Falliſoco ſubjecto eidem Collegio vendidit & alienavit, quod in dedecus, opprobrium, damnum & detrimentum Ordinis noſtri non modicum cedit. Ideo definiunt Definitores quod Reverendus Pater Dominus noſter communis procuret, cum effectu depoſitionem & amotionem dicti Rectoris, infra duos menſes à data præſentium numerandos, & unum ſufficientem & idoneum de Ordine & Gremio habeat ibidem ponere & inſtituere, qui præmiſſa damna, ruinas, caſuras, & numerum Religioſorum & Studentium & cultum divinum habeat ad priſtinum & bonum ſtatum reducere, & emendare malè adminiſtrata, & cætera facere, quæ verus Rector & Adminiſtrator tenetur facere & adimplere. Cujus conſcientiam circa hæc oneramus.

Patres Capituli Generalis, quod anno inſequenti, 1447. habitum eſt item Cluniaci, progreſſi ſunt ulteriùs; nam Definitores ſanxere: Joannem de Tholigni ſuo Rectoratu privandum eſſe. *Quia*, inquiunt, *nobis conſtitit legitimè de malo regimine moderni Rectoris Collegii Sancti Martialis, tàm per literas Religioſorum, quàm etiam per Definitionem Capituli anni præteriti, quia, ut præmittitur, de hujuſmodi materia, anno præterito juſtè & ſanctè definitum fuit, ideo iterum & de novo dictam Ordinationem & Definitionem approbamus, & ratificamus, exhortantes, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Ieſu Chriſti, Reverendum Dominum noſtrum Abbatem Cluniacenſem cui jam pridem præterita Definitio dirigebatur, quatenus ipſam debitæ executioni demandare dignetur, ne prædictum Collegium, per ipſius negligentiam, diſtrahatur: & quantum in nobis eſt, prædictum Rectorem, lapſo termino, in prædicta Definitione, limitato, amovemus, authoritate Apoſtolicâ, quâ fungimur in hac parte, &*

D

pronunciamus quoque ordinamus & ſtatuimus : prædictam Definitionem hic ſubſequenter inſerentes , quæ eſt talis. ....

Terminus , eâ Definitione anni præcedentis, præſcriptus , erat tantùm duorum menſium, ſed Oddo Abbas rem diſtulit , nihil nimiùm præcipitanter agendum eſſe ratus. Joannes de Tholigny promiſit effusè mutaturum ſe mores, & aliam initurum regendi viam , & ut aliquod ederet ſpecimen ſtudii ſui erga Domum Sancti Martialis, ære ſuo , eam Templi partem, quam Chorum vocant , ligneo ornatu circumveſtivit , cui ſedes aptas intexuit, pro cantantibus Monachis.

Verumenimverò, quamvis Procuratio data eidem de Tholigny in annos Viginti excurreret, nihilo tamen minùs redactus eſt in ordinem , & officio ſpoliatus, anno ſui regiminis Decimo exeunte , illique ab Abbate ſubſtitutus eſt Domnus Galterius de Fallerenco , anno 1453.

Fallerenco , qui jam erat Sacriſta ejuſdem Gymnaſii Sancti Martialis , longè plures , ac expectarat , paſſus eſt obices , antè poſſeſſionem quàm iniret collatæ ſibi dignitatis. Ut is Fallerenco, Sacriſtæ Officium , in Domo Sancti Martialis, jam habebat in Titulum, ſi Rectoratus Domûs ejuſdem, habitus etiam fuiſſet Titulus Beneficii , ſanè , pronum erat promptúmque Joanni de Tholigni, eam utriúſque Dignitatis in eodem viro repugnantiam, ipſi Fallerenco objicere : ſed Joannes nihil tale oppoſuit, dixitque ſolùm : Abbatem Cluniacenſem dignatum ſe fuiſſe eâ præfecturâ , in annos Viginti, ſéque, vel ab anno 1447. ad Pontificem provocaſſe à Definitoribus Capituli Generalis , à quibus nimirum , defectu poteſtatis, negabat potuiſſe ſe à Rectoratu deturbari. Unde Vicesgerens Avenionenſis , vi diplomatis quod is de Tholigni, ſex ante annos , impetrarat ab Nicolao V. citavit Domnum Simonem de Ronchivol Priorem Cariloci , & Domnum Petrum Eſcoffier Priorem de Barnana , qui fuerant Definitores & judices in eo Capitulo anni 1447. cum conſuetis prohibitionibus , quidquam innovandi , *Lite pendente.*

Eatenus, huic amborum Rectorum jurgio & contentioni Abbas Oddo non intervenerat. Nemini magis notum erat quàm Joanni de Tholigni poſſe moveri ſe de ſtatu Rectoris , ex mero Abbatis Cluniacenſis arbitrio , quam Abbatis facultatem ipſe de Tholigny cognoverat ejuſmodi eſſe , ut volens prudénſque ſubſcripſiſſet pactioni , quâ ſtatuebatur , ut , indictâ etiam causâ , poſſet amoveri ab Officio, quotieſcúnque id Abbati colluberet , pacti etiam mulctâ grandis pecuniæ, Abbati tradendæ; caſu quo reniteretur, dum Abbas, vel ejus ſucceſſores, vel eorum etiam delegati , eumdem de Tholigny removere vellent à Rectoris Officio. Sed ubi eò ventum eſt quò rem deduximus narrando , adveniſſe tempus vidit Oddo , quo vires ipſi omnes auctoritatis ſuæ exerendæ erant. Igitur Rectorem utrumque, Joannem de Tholigny & Galterium de Fallerenco , ſuâ Procuratione ſpoliavit; cui Oddonis mandato , vel eò faciliùs ab utroque obtemperatum eſt , quò , tali ſententiâ , neuter contendentium ambitam dignitatem conſequebatur. Mandatum Abbatis miſſum fuit Avenionem , ubi ambo litigantes degebant , voluítque Oddo ſua ut illis juſſio innoteſceret per Officialem , quem vocant , Archiepiſcopi , anno 1456. Tenor juſſionis hic eſt. Eſſe quidem germanum Collegii Rectorem , Galterium de Fallerenco : conari tamen pervicaciter Joannem de Tholigny (quamvis exautoratum ab ſe Abbate) commiſſam ſibi olim , in annos viginti , gubernationem Collegii , in viceſimum illud extendere temporis ſpatium ; quæ quidem iniqua voluntas in maximum cedit Domûs illius detrimentum. Seſe propterea, ut occurrat tali tantóque incommodo , & ut famæ Ordinis , publicæque conſulat honeſtati , *Dictum Collegium & membra ejus ad manum ſuam ponere.* Statuitque , ex matura deliberatione cum Primoribus Patrum habita , Monachos Gymnaſii in poſterum electuros , Procuratorem, ſingulis annis , die Feſto Sancti Martini xi. Novembr. qui quidem Procu-

rator rationarium, quot annis, deſcribet bonorum mobilium Domûs, & dabit expenſorum annuas rationes Abbati, tempore Capituli Generalis (reſervatâ poteſtate Abbati in omnia tum Officia tum Beneficia quæ vacare contigiſſet) cujus mandati authenticam, idem Officialis Avenionenſis, utrique Rectori, & Monachis Collegii, ſyngrapham tradidit.

Ut ea contentio extra Monaſterii ſepta eruperat, vidit Oddo, pro ſua ſapientia, oportere ut, ſolemni ritu, & à publico Judice mandatnm vulgaretur ſuum, quo ſcilicet novum planè genus regiminis in Gymnaſium inducebatur.

Atenim Abbas Oddo, qui anno inſequenti migravit è vita, videre non potuit hanc ſuam conſtitutionem executioni mandatam. Antè porrò quàm videamns, quid conſecutum ex ea ſit, non debemus omittere Facta hîc quædam recenſere, quæ contigere dum Abbatiam is Oddo Cluniacenſem rexit; quibus ſcilicet Factis liquet ſemper apertiùs, Gymnaſium Sancti Martialis, & bona omnia illi annexa, jure, quod dicunt Immediato, ad Abbatem pertinere Cluniacenſem.

Anno 1440. cùm multis conſtitiſſet argumentis, Domnum Joannem Mouſchon (quem ſimile vero non eſt, eumdem eſſe nominis ejuſdem virum, quem diximus Decanum Cluniacenſem fuiſſe anno 1423.) peſſimè ſe gerere in ſuo Prioratu de Fallifoco; ut illum Oddo Abbas ex illo extraheret loco, ita egit cum eodem, ut is ſuum de Fallifoco Prioratum Gymnaſio Sancti Martialis addiceret, è cujus propterea reditibus, indicta fuit huic Joanni ſolvenda quot annis penſio; quæ numerata illi de facto fuit, uſque in annum 1456. quo anno, Domnus Claudius de Uteſiaco Procurationem accepit ab Oddone, quâ rite paciſceretur cum hoc Joanne, ut loco memoratæ penſionis, reditus in poſterum Prioratûs de Tincto perciperet idem Joannes, quibus ille quidem non potitus eſt diu, brevi enim poſt id pactum extinctus eſt.

Prioratus ille de Fallifoco (ut id obiter moneamus) cùm longo ſatis tempore occupatus fuiſſet ab Epiſcopis Dinienſibus, Ordini Cluniacenſi fuerat reſtitutus, æquitate & auctoritate Caroli II. Neapolitani Regis Comitíſque Provinciæ, anno 1298. Id ſtrenuè curante, apud eum Regem, Cluniacenſi Abbate.

Anno 1442. Pepigit idem Oddo de reditibus Prioratûs de Tincto cum Monachis duobus, quorum alteri nomen erat Durandus le Roux Prior de Cannis, alteri verò Georgius de la Faye Prior de Orgeroliis.

Anno 1447. dedit idem Abbas Procurationem ſuam illimet Georgio de la Faye tunc Priori Sancti Gelaſii, & Domnis Bertrando Silveſtro Priori Sancti Pauli, Petróque Eſcoffier, ut idoneis redemptoribus traderent, ut loquitur Abbas, *Reditus Noſtros Arelatenſes.*

Vi ultimæ quam retulimus juſſionis profectæ ab Oddone Abbate; primo anno regiminis Domni Joannis de Borbonio qui Oddoni ſucceſſerat, electus fuit à Monachis Gymnaſii, in annuum Domûs Procuratorem, Domnus Guillelmus de Arconceïo, dictus Girebertus, Feſto die Sancti Martini. Viſitur charta hujus electionis in tabulario Collegii, in qua etiam narratur obſtitiſſe Monachos, ne eligeretur Galterius de Fallerenco, eò quòd, inter ipſum & inter Joannem de Tholigny, de Rectoratu nuper vertiſſet controverſia.

Ponitur in conſpectu quibus finibus circumſcripta eſſet hæc annuorum Procuratorum poteſtas, ex pacto inito inter Guillelmum Turnonii Dynaſtam, anno 1458. & Guillelmum de Arconſeïo, eodem anno Gymnaſii Procuratorem. Turnonii Dynaſta petit ante omnia à Guillelmo de Arconſeïo, ut literas ſuæ Procurationis teſtes exhibeat, quas hic oſtendit, ſequenti formulâ: *Domnum Mondonum Lynaberti, anno ſuperiore, Adminiſtratorem fuiſſe ejuſdem Collegii* (quam rem quidem ex ſolis iis tabulis diſcimus) *Hoc verò anno* 1458. *Suppriorem Sancti Martialis, Sacriſtam & Collegiales Capitulariter congregatos, voluntatem, ſtatutum, & or-*

dinationem Reverendi in Chriſto Patris, Domini Joannis de Bourbon, Abbatis Cluniacenſis inſequentes, elegiſſe Domnum Guillelmum de Arconceio, aliàs Girebertum, in Adminiſtratorem Collegii Sancti Martialis ad unum annum, cum omnibus juribus & facultatibus competentibus Procuratori & Adminiſtratori legitimo Collegii Sancti Martialis. Erat item is Girebertus Sacriſta Domûs Sancti Martialis, & Abbas Joannes de Borbonio pactus cum eo fuerat *ad ejus vitam*, de reditibus Prioratûs de Tincto, ſtatim ab obitu Domni Joannis Mouſchon, de quo ſuprà. Quæ quidem pactio magis ac magis ſemper declarat, omnes & ſingulos reditus Gymnaſii fuiſſe ſemper, pleno jure, in manu Abbatum Cluniacenſium. Hinc eſt quòd idem Girebertus in alia charta ſubſcribit ſe: *Perpetuum Firmarium, Admodiatorem, & Adminiſtratorem Prioratûs de Tincto, & nunc Rectorem Venerabilis Collegii Sancti Martialis*, quod ſignificat: Procuratorem annuum illius Domûs.

Supina Superiorum Rectorum negligentia in rectè ſanctéque regenda domo, non unam aperuerat viam, quâ irrepſerant in Gymnaſium mali mores. Ex ea re magna in totum Ordinem redundabat infamia. Patres ergo Capituli Generalis quod Cluniaci congregatum eſt, anno 1458. ſuæ duxerunt religionis eſſe, ut quàm enixiſſimè poterant, novum Abbatem ſuum hortarentur atque urgerent, vellet tot tantíſque malis opportunum & efficax adhibere remedium, quod aliunde nequiret proficiſci quàm ab ejus auctoritate. Verba ſanctionis, re ſuper ea, conditæ, hîc attexam. *Quoniam à duodecim annis innumeros rumores noſtri prædeceſſores Patres definitores habuerunt de debili Statu, imò potiùs ruina noſtri Collegii Avenionenſis Sancti Martialis, ita ut non ſtudentes ſed potiùs inſolentes & ſæculares mereantur appellari, quod certè dolenter referimus; quæ ruina quoad proprietatem & bona cedit in damnum ipſius Collegii, in confuſionem Ordinis noſtri, prævaricationem ultimarum voluntatum Sanctorum Patrum Fundatorum. Hinc à parte intelligentes quod tanta ruina utiliter, ſufficienter, nec efficaciter providere valemus, niſi altior interveniat digitus; ex nunc rogamus & ſuppliciter exoramus Reverendum Patrem Dominum noſtrum communem, noſtras ex nunc conſcientias exonerantes, & quatenus cum Deo poſſumus, ſuam onerantes, ut dicto proſtrato Collegio celeriùs occurrere dignetur, de Capite & Membris utilibus eidem providendo.*

Plena ſunt Archivia Cluniacenſia, *computis* ſeu rationibus redditis ab illis annuis Gymnaſii Procuratoribus, quorum non eſt neceſſe ſeriem hic contexere, quam nempe initio ſcriptionis hujus, & exactè quidem, compegimus.

Quamdiu ea Procuratio annua tenuit, Abbas Joannes de Borbonio, vir moribus ſanctiſſimis, mittebat in Gymnaſium aliquem è ſenioribus & ſapientioribus Monaſterii Cluniacenſis, cui dabat potiſſimas Superioris partes, quémque rebus præficiebat ad profectum in Spiritu pertinentibus. Quod ſanè non eſt prætereundum ſine hac obſervatione: eum videlicet Rectoratum non fuiſſe Titulum Beneficii: nam in Domibus ejuſmodi nunquam duo ſimul Præpoſiti conſtituuntur, quandoquidem in iis cura rerum ſpiritualium ad eumdem pertineat ſemper, ad quem ſpectat jus ad bona temporalia.

Domnus igitur Jacobus de Mouſſy Magnus Prior Cluniaci, miſſus fuit in Collegium Sancti Martialis ab Joanne de Borbonio, ut ibidem rerum præfecturam gereret ad profectum Spiritûs pertinentium, cui Jacobo, Abbas reditus Prioratûs de Greſaco aſſignavit, ut iis ſe ſuſtentaret. Huic Patri, quem vocant, Spirituali & annuis illis Collegii Procuratoribus, Rectoris titulus conferebatur nullo diſcrimine. Siquidem in pactione certæ cujuſdam pecuniæ ad neceſſarias Collegii reparationes, Jacobus ille de Mouſſy indigitatur. *Reformator & Rector Collegii, Vicarius Domini Cluniacenſis.* Et in quadam Tranſactione anni 1474. cum incolis Podioleni. *Podioleni Dominus*: ad quem ſolùm claves portarum Oppidi deferebantur à novis Conſulibus, ſoli pendebantur cenſus omnes, in cujus ſo-

lius manibus, aut Procuratorum ejus, abſente ipſo, ab iiſdem Conſulibus jurabatur. Et in quadam inquiſitione, facta longo pòſt tempore, nempe anno 1484. ut conſtaret à quonam Collegii medicus accipere ſtipendia deberet, Domnus Ludovicus de Podio-groſſo, conteſtatus eſt D. Jacobum de Mouſſy exſolviſſe ſemper ea ſtipendia; quam rem, ipſe qui ſic conteſtaretur, optimè callebat, ut pote qui faciendo ſumptui præfectus fuiſſet, per ſex totos annos; *Dum Domnus de Mouſſy Rectorem Collegii agebat.*

Poſt Jacobum de Mouſſy, idem Abbas Joannes de Borbonio contulit Collegii gubernationem D. Claudio de Hagia Sacriſtæ Cluniacenſi & poſteà Abbati Thierenſi, in Arvernia, à quo habemus conventionem factam, Abbatis Cluniacenſis nomine, cum incolis Podioleni, ſuper lite quam ejuſdem Abbatis Procurator Fiſci intentarat ipſiſmet incolis Podioleni, ſuper quadam vini, & carnis in macello portiuncula: (quam vernaculè vocant *le ſouquet*) *in præjudicium præeminentiarum & juriſdictionis Reverendi Domini noſtri Abbatis Cluniacenſis, Domini ejuſdem Podioleni.* Occurrent in ſequentibus argumenta creberrima, quibus continuâ demonſtratione colligitur: tum Podiolenum, tum cetera membra Gymnaſii nunquam non fuiſſe Immediati, ut ajunt, Dominii Abbatum Cluniacenſium, quorum Rector Gymnaſii Sancti Martialis nihil erat aliud quàm merus Procurator.

Domnus Nicolaus de Meſſiaco Prior Sancti Blaſii, in diœceſi Anicienſi, & Prior poſteà de Cæſariſta, & Decanus Cluniaci, conſtituitur Rector Collegii, anno 1483. Scholaſtici, quorum anteſignanus vocabatur Domnus Rochette, graviſſimè apud Abbatem de eo Rectore conqueſti ſunt; qui queſtus adhortati ſunt Jacobum d'Amboiſe, Joannis de Borbonio ſucceſſorem, ut hunc Nicolaum amoveret ab Officio, cui tamen reliquit curam Prioratuum de Tincto & de Greſaco. Vides ut Abbates, pro imperio, nunc regimen Gymnaſii & Membrorum ejus vel in unum conferant, nunc verò (prout opportunius cenſent) partiantur in plures.

Rexit intereà Collegium Gubernator Decanatûs Valenſolæ, qui (ut opinamur ex quadã ſcheda) vocabatur *de Cluſel.* Is priori loco ſubſcriptus invenitur in rationibus eo tempore redditis. Viris ille duobus, non Monachis ſed externis, quorum alteri nomen erat *Mondi*, alteri verò nomen erat *Landric*, ſumptûs faciendi curam tradiderat. Sunt nobis in manu redditæ rationes illi Gubernatori Decanatûs Valenſolæ, cum hac epigraphe, Gallicis verbis: *Sumptus facti à Scholaſticis Reverendi in Deo Patris Domini Cluniacenſis, qui ſunt quatuordecim numero, habitâ ratione Meſſiaci & Pugetti, qui duo ſunt externi, & pro ſe annuam penſionem ſolvunt.*

Non abs re vocantur illi, *Scholaſtici Domini Cluniacenſis*, quandoquidem Abbas illis, eo tempore, miſerit & telas pro ſternendis ad cubandum cubilibus, & pannos, quibus decenter veſtirentur. Quæ certè cura documento eſt, uſum fuiſſe, per ſe ipſum, Abbatem, Collegii reditibus, res ad victum veſtitúmque neceſſarias miniſtrando, quâ viâ collibuerat. Pacta pro reditibus prædiorum icebantur id temporis, vel ab ipſis Abbatibus, vel, nomine Abbatis, à Rectore Collegii, nullo diſcrimine. Pactum pro annuis fructibus Podioleni ictum fuit cum Joanne Laurentio, à Domno Nicolao de Meſſiaco, tanquam Procuratore Abbatis; pactum verò, pro fructibus annuis Pontis-Sorgiæ, ab ipſomet Abbate factum fuit, in annos quinque.

Anno 1502. nuncupavit in Rectorem Abbas Jacobus d'Amboiſe Domnum Andream Benotti. Extat Inſtrumentum ab eo Rectore confectum, quo obligantur Conſules & incolæ Podioleni exolvere deinceps Decimas, per faſciculos ſeu per ſpicarum manipulos. Curavit is Rector, ut Sacriſtæ Monus in oppido Podioleno ſibi conferret Pontifex, quod & conſecutus eſt.

Anno 1504. Idem Abbas, unà cum Domno de Meſſiaco qui Avenione diſceſſerat, redemptorem redituum Prioratûs de Tincto virum conſtituit nomine Paillaſſon,

eâ lege, ut pluribus ſolutionibus, eos reditus ferat Cluniacum.

Anno 1506. Prioratus de Melva ad Turnonium, qui pars bonorum eſt Domûs Sancti Martialis, ex pactione Abbatis ejuſdem datur Domno Pichon Sacriſtæ ejuſdem Prioratûs, eâ conditione ut pacta pecunia numeraretur, vel ipſimet Abbati, vel ejus Generali Quæſtori.

Anno 1609. D. Claudius de Meſſiaco, filius fratris Decani Cluniacenſis, adjungit ſe ſocium pacto inito olim cum memorato Paillaſſon, ex literis Procuratoriis ejuſdem Abbatis Jac. d'Amboiſe, qui in averſis tabulis ejus novæ pactionis, propriâ manu ſcripſit: *Dentur Rectori Viſulio.*

Is Domnus Joannes de Viſulio erat Sacriſta Domûs Sancti Martialis, & nihilo ſecius renunciatus eſt Rector ejuſdem Domûs anno 1507. quam nemo eſt qui tam gubernaverit diu, neque ſub pluribus Abbatibus. Clauſtrum Gymnaſii extrui curavit, dum regebat Abbatiam Cluniacenſem Aymardus de Gouffier, cujus ſuperſunt etiamnum Inſignia Gentilitia portæ Clauſtri impoſita, cum Inſignibus itidem Joannis de Viſulio, & ſub iiſdem Gentilitiis Parmis carmina leguntur inſcripta in laudem Rectoris. Idem hîc de Viſulio factus dein eſt Prior in Titulum Prioratûs de Ganagobia, & dum Rector eſſet Gymnaſii, pactus tamen eſt cum Abbate, condicto pretio, de proventibus Prioratûs de Falliſoco, qui Prioratus Membrum eſt Gymnaſii ejuſdem. Redditas ab ipſo vidimus exactiſſimas rationes, in annos tributas ſingulos, ſuiſque numeris ſignatas quàm aptiſſimè. Exempli gratiâ: *Computus Decimus Quintus pro anno* 1521. Huic erat Procurator nomine Domnus Joannes de Ciſa, qui eas Joannis de Viſulio rationes deferebat Cluniacum.

Idem Rector de certis quibuſdam rebus convenit cum Joanne Frioti Sacerdote & noſocomii Adminiſtratore Podioleni; ejus Conventionis verba magnopere notanda ſunt: *Reverendum Dominum Abbatem Cluniacenſem, & ejus Collegium Sancti Martialis, qui quidem Abbas* Prior et Dominus *dicti loci Podioleni ſolus & in ſolidum habet directum Dominium, cum mero & mixto Imperio, ac Regalibus ejuſdem, & quod poteſtas & facultas eidem Domino Abbati pertinet tradendi & dandi domos, poſſeſſiones & prædia vacantia in territorio prædicti loci, perſonis, de quibus ſibi videbitur, ad novum accapitum.*

Plenum illud jus Abbatis Cluniacenſis in Gymnaſium Sancti Martialis velut membrum unum ceu partem unam Abbatiæ Cluniacenſis, tam recognitum eo tempore, ab omnibus erat, ut in Chronico typis edito Bibliothecæ Cluniacenſis, legatur id quòd ſequitur: *Tempore Iacobi de Amboſia conſecrata fuit Eccleſia Collegii Avenionenſis, quod eſt de Menſa Abbatis Cluniacenſis.*

Joannes Cardinalis à Lotharingia electus eſt Abbas Cluniacenſis anno 1528. quo anno, Rectorem Gymnaſio præficit Domnum Michaëlem de Monte-magnono. Rationes, quas hic Michaël reddidit ſuæ Adminiſtrationis ab anno 1529. ad annum 1543. oculis uſurpavimus Cluniaci. In earum margine tabularum viſitur ſcriptum, manu eorum quos Sereniſſimus Abbas rationum ſeu *Computorum* Auditores ſtatuerat: *Quam is ſummam rite ab ſe expenſam haberi poſtulat.* Et è regione uniuſcujuſque articuli, eâdem exaratum manu, vel, *bene*, vel, *inquiratur ulteriùs*, vel, *patet*, aliquando verò, *non valet*, Gallicè ſic eſt: *Bon, ſuſpend, Apert, Neant.*

Revolvantur quantumlibet omnia Cluniaci tabularia, nuſquam ſanè reperire erit, vel unum qui Superior domûs alicujus in Titulum fuerit, & rationes Beneficii ſui excuſſas in hunc modum & examinatas reddiderit.

Domnus Joannes du Blé, Prior Sancti Marcelli Cabilonenſis, & Generalis Vicarius hujus Abbatis, ejúſque item ſucceſſoris, is fuit, ad quem referri, de omnibus rebus ad Domum Sancti Martialis ſpectantibus, voluerunt ambo illi Cardi-

nales Abbates. Superſunt enim Cluniaci rationes à Joanne Hoſpitalerio redemptore redituum Fallifoci & Malæ-meſſis, exaratæ quidem manu Domni de Monte-magnono Rectoris, ſed redditæ huic Domno Joanni Du Blé.

Quamdiu is Cardinalis rexit Abbatiam, ne una quidem facta eſt pactio, pro annuis reditibus Gymnaſii, nulláque etiam publica apud Tabelliones ſcriptio, niſi nomine hujus Abbatis, aut ejus Generalis Vicarii.

Cùm Baro Polinus ſuos milites induxiſſet in oppidum de Tincto, & libros cenſuum Priori ejus loci debitorum ſubripuiſſet, Oppidani confugerunt ad hunc Cardinalem Abbatem, quem vocant : *Dominum de Tincto.*

Idem Cardinalis agnoſcebatur ab omnibus ut ſupremus Dynaſta Podioleni, pretia pro venditis bonis, aut etiam pro poſſeſſis debita poſt præfinitum quoddam temporis intervallum, ipſi uni ſolvebantur. Anno, verbi gratiâ, 1535. Claudius quidam Guichardius prædium vendidit : *Sub majori Senhoria & Dominio directo Domini Abbatis, Prioris & Domini Podioleni.* Multæ aliæ occurrunt ejuſdem Venditionum Schedæ quas hîc referre ſupervacaneum eſt : *Salvo Dominio & majori Senhoriâ Reverendi Patris Domini Abbatis Cluniacenſis, Domini & Prioris Sancti Petri Podioleni, ac ſenſu & ſervitio annuis, ſolvi conſuetis.*

Dum Collegium adminiſtrabat idem Michaël de Monte-magnono, idem Cardinalis Abbas eò miſit Domnum Joan. de Magdalena Priorem majorem Cluniaci, & poſt hunc, eò iterum miſit anno 1547. Domnum Petrum Gouſcon, Priorem Sancti Dionyſii *de Carcere* Pariſiis, utrumque Vicarium Generalem ſuum, ut eam Domum, quod aiunt, Viſitarent, & Abbati poſteà referrent de ſingulis.

Ab anno 1550, quo Carolus Cardinalis à Lotharingia poſſeſſionem iniit Abbatiæ Cluniacenſis, eodem planè modo uſus eſt reditibus Gymnaſii, ac utebatur reditibus ipſius Abbatiæ : nam poſteaquam commiſiſſet curam Collegii Domno Joanni Du Blé Vicario ad omnia ſuo, ſtatim denunciavit : *ſe ad manum ſuam ponere* omnia bona Domûs Sancti Martialis, & de facto, nomine ſuo pepigit ipſemet, pro reditibus annuis Prioratuum de Podioleno, de Tincto, & de Fallifoco, quorum, in tabulis, appellatur : *Prior & Dominus.*

Mandavit ante omnia Domno Joanni Du Blé, ut, in majorem Ordinis utilitatem, in ſua *Viſitatione* Gymnaſii, ſingula quàm accuratiſſimè perluſtraret atque inſpiceret. Deſcripta permanſerunt hactenus (non ſine quodam Numine) Acta ejus *Viſitationis*, in nitida pergamena, chirographo munita Cardinalis Abbatis, & ejuſdem D. Joannis Du Blé *Viſitatoris*, itidémque obſignata ab eo viro qui erat Abbati Principi à ſecretis, appoſito etiam majori ſigillo ejuſdem Cardinalis,

Quoniam verò clariſſima deducturi ſumus argumenta, ex iis Actis, ad dignoſcendum genuinum ſtatum Gymnaſii, & ad ponendam in oculis Statutorum falſitatem Apocryphorum, quorum ope, tendunt probare aliqui : Rectoratum Sancti Martialis fuiſſe fundatum, in Titulum Beneficii ; viſum propterea eſt in calce hujus opuſculi, ipſámet Acta typis excudere, de verbo ad verbum Autographo ipſi conformia,

Exorſus eſt primùm hic Viſitator, ab abrogatione Rectoris. *Eidem Collegio præficimus in Rectorem, Venerabilem & Cariſſimum Fratrem noſtrum Domnum Petrum Iſnard, Decretorum Doctorem, abſoluto priùs ab ejus Officii onere, Venerabili & Cariſſimo etiam Fratre noſtro, Domno Michaële de Monte-magnono jam ſene & debilitato.*

An unquam eſt viſum uſpiam gentium, ut, quiſquam abdicatur à regimine Beneficii quod poſſederit in Titulum, eâ ſolum de causâ, quòd jam affectæ ſit ætatis aut valetudinis?

Reliquit tamen idem Viſitator optimo illi ſeni (*ſed ſub Abbatis beneplacito*) adminiſtrationem Prioratuum de Tincto & de Podioleno, initis quibuſdam cum

eo conditionibus. Quem in modum priores Abbates gratificati non ſemel fuerant Monachis nonnullis, qui bene de Ordine meriti fuerant; aſſignatâ ipſis aliquâ portione (quam diſpeſcebant) bonorum Gymnaſii Sancti Martialis.

Stipendia, pro Rectore Domûs, definita tum fuêre ab eodem D. Joanne Du Blé; quem Rectorem is Viſitator, in primo Statutorum limine, monet, ne ſe adire Rectoratum exiſtimet, niſi iiſdem legibus, quæ dictæ ſemper fuerant illius Domûs Adminiſtratoribus. *Qui tamen*, inquit, *hic immobiles ponere ſedes, aut perpetuum Beneficii Titulum ſe obtinere non arbitretur: verùm ſe, ad nutum Reverendi Domini Abbatis, revocandum intelligat.*

Tam geſſit ſe prudenter ac modeſtè in eo Rectoris officio Domnus Petrus Iſnardi, ut eum Cardinalis ſuum Generalem creaverit Vicarium in Provincia & Comitatu Veneſſino, literis ſuis ad Fontem-bellaqueum datis die 3. Maii 1553. Quantùm porrò attinet ad regimen Domûs Sancti Martialis, cujus is Iſnardi erat Rector, ad unos ſpectabat D. Joannem Du Blé Priorem Sancti Marcelli Cabilonenſis, & ad D. Joannem Cotignon, Majorem Priorem Cluniaci, qui Generales erant Vicarii Cardinalis Abbatis.

Dedit enim D. Joannes Du Blé Procurationem Domno Panciot, D. Jaquet Sacriſtæ Monaſterii oppidi Sancti Spiritûs, & D. Finet Subpriori & ut loquuntur Eleemoſynario in Prioratu Sancti Marcelli Cabilonenſis, ut pro quodam pretio paciſcerentur, pro juribus & pro annuo cenſu debitis tum Arelate tum Carpentoracte: *eo quod*, inquit ille, *juris proprii ſint Abbatiæ Cluniacenſis.*

Anno 1558. illémet D. Joan. Du Blé, pepigit ipſe pro proventibus Podioleni & Pontiſſorgiæ, cum Guillelmo la Boiſſe mercatore oppidi Sancti Spiritûs, tradidítque procurationem eidem Guillelmo, ut daret idoneis redemptoribus bona quæ Abbas Cluniacenſis habet in Provincia, *quæ pertinent*, ut habet charta, *ad Dominum Cluniacenſem, ob Collegium Sancti Martialis, MEMBRUM ſpectans ad memoratam Abbatiam.* Tabellione, *Barreriâ.*

Domnus idem Petrus Iſnardi tanquam Rector Gymnaſii Sancti Martialis ſtitit ſe apud Viros quos Rex in Provinciam miſerat Recognitores Feudorum, ut vocant, & Cenſuum, quæ à Dynaſtis ejus regionis, ſub ſupremo Regis dominio, tenebantur. En quibus verbis facta fuerit Gallicè Rectoris declaratio: *Pro iis, quæ dictus Dominus Cardinalis à Lotharingia, tanquam Abbas Cluniacenſis, & propter Dictum Collegium Sancti Martialis Avenionenſis MEMBRUM PERPETUO UNITUM DICTÆ ABBATIÆ CLUNIACENSI, tenet & poſſidet, Arelate, &c.* Ii reditus jura quædam ſunt, ab antiquo, ad Abbates, Cluniacenſes ſpectantia, & ab iis contributa juri & proprio uſui Domûs Sancti Martialis.

Inde eſt, quòd in libro Quæſtorum, in finibus Metropolis Arelatenſis, ejus pecuniæ quæ pro Decimis penditur Regi, ſic ſcriptum ſit: *Pro eo quod debet Dominus Abbas Cluniacenſis.* Et in elencho ſeu regeſto redituum ejuſdem Abbatis: *Sequuntur Nomina eorum qui debent, Arelate, Cenſus ſeu Financias Domino Abbati Cluniacenſi, ſeu ejus Monaſterio Sancti Martialis.* Iidem hi reditus Arelatenſes dicuntur in alia charta, eſſe: *Sub majori directo Dominio & Senhoria Domini Abbatis Cluniacenſis & ſucceſſorum.*

Anno 1560 Domnus Joannes Laurentii inſtitutus eſt in Rectorem Gymnaſii, adjunctus eſt illi, nomine Vicerectoris, Domnus Panciot, & poſteà Domnus Claudius Laurentius, die 14. Oct. 1566. eâ lege, ut ita adminiſtrarent reditus Collegii, ut quod æris ſupereſſet, poſt ſuſtentatos Scholaſticos & Monachos, & factas opportunè reparationes, id totum in uſus converteretur, quos vellet, ſuo arbitratu, Cardinalis Abbas. Atque itá, diviſa fuit tunc Collegii curatio tum Rectori tum Prorectori, cujus recens Prorectoris officium nuperrimè, ut vidimus, invectum fuerat.

Sub

Sub initia novi hujus Rectoris inſtaurata ſunt pacta omnia univerſorum Domûs redituum, & ſingula quidem ſolo nomine Cardinalis à Lotharingia. Quod ſpectat ad proventus Podioleni, pactio quæ interceſſerat cum Guillelmo la Boiſſe, rata eſt habita, in tres iterum annos; reditus verò Prioratûs de Tincto crediti fuere Domno Finet.

Eodem anno 1560. ſuper lite quadam exorta in oppido de Tincto, orata eſt cauſa Turnonii, ſuperſunt ejus litis ſchedæ, quarum uni hic titulus eſt, vernaculè: *Memoriale pro Domino Cardinali de Lotharingia, Abbate Cluniacenſi, & ex cauſa ejus Abbatia, Priore de Tincto, qui Prioratus MEMBRUM eſt, ab antiquo competens Adminiſtrationi, & ſpectans ad Menſam Abbatis Cluniacenſis, ob Collegium Sancti Martialis Avenionenſis, quod eſt etiam MEMBRUM dicta menſa Abbatis Cluniacenſis.* Et in oblato, de re eadem, libello ſupplici, *Cardinalis de Lotharingia ſignificavit nobis, quòd propter ſuam Abbatiam Cluniacenſem, ipſi competit, & ad eum ſpectat Prioratus de Tincto, MEMBRUM illi Abbatia unitum.*

Quod attinet ad Prioratus de Fallifoco & Malæmeſſis, evidentius longè eſt, utrumque fuiſſe proprii &, ut dicunt, immediati juris Abbatis Cluniacenſis. Pactio pro utriuſque annuis fructibus, hoc ipſo anno inita eſt ab Domno Joan. du Blé, nomine Abbatis Cardinalis, cum Sacriſta Decanatûs Valenſolæ; habent porrò pactionis tabulæ: *Adminiſtrationem & proventus omnes Gymnaſii Sancti Martialis ſpectare ad Dominum Cardinalem, propter ejus Abbatiam Cluniacenſem.* Hinc eſt quod Dynaſta quidam nomine de Barras, cui animus erat reditus Malæmeſſis coemere, adiit propterea Cardinalem Abbatem, quem vocat *Dominum illius Loci.*

Verumenimverò, quid validius? aut quid excogitari poteſt magis authenticum, ad demonſtrandum omnia Bona addicta Domui Sancti Martialis, omnimodo jure, propria eſſe, Abbatis Cluniacenſis, quàm ſolemne Diploma Caroli IX. quod ritè conſervatum in manu noſtra eſt? Rex jubet eo Diplomate, Cardinalem Abbatem planè eximium eſſe ab onere ſolvendarum Decimarum, quas, eo anno, debebat, ratione Beneficiorum quæ in Regno poſſidebat. Omnia ibi ejus Beneficia recenſentur, & nullo prorſus diſcrimine recitantur tanquam Membra Abbatiæ Cluniacenſis, Decanatus Valenſolæ, Prioratus de Greſaco, de Tincto, de Fallifoco & Malæmeſſis, reditúſque Arelatenſes. Eæ literæ Molinis datæ fuerunt, anno 1561. Omittuntur Prioratus Podioleni & Pontis-ſorgiæ; quia obnoxii non erant illis ſolvendis Decimis.

Etiamſi eo teſtimonio eſſe majus nullum poſſit aut locupletius, Tabulæ tamen quas hic compendiò ſubjicimus, ſcriptæ Avenione, autoritate publicâ, rem noſtram, magis adhuc, ut ita dicam, compertam faciunt & exploratam. Joannes du Blé Generalis Vicarius Abbatis, Procuratorem ſtatuerat, anno 1561. Nobilem Guidonem Prevoſt, præfectum cuſtodiundo vendundóque ſali, in oppido de Bourbon-Lancy, ut, pacto pretio, cum quovis mallet redemptore idoneo conveniret de annuis reditibus Domûs Sancti Martialis, Podioleni, Pontis-ſorgiæ, ceterorúmque membrorum ab ea Domo pendentium, *qua ſunt menſa Abbatis Cluniacenſis*, ut ibi dicitur. Is Guido, qui tunc erat Avenione, de fructibus Podioleni & Pontis-ſorgiæ, in utilitatem Domini Cardinalis Abbatis Cluniacenſis, ob ejus Collegium Sancti Martialis quod eſt Membrum ejuſdem Abbatiæ, paciſcitur cum Nobili viro Joanne Michaële Pertuis, Pedemontano, cive Avenionenſi J.V. Doctore, idque pro reſiduo tempore, pro quo pactus anteà fuerat Guillelmus la Boiſſe, qui ſuo jure, ea de re, lubens volénſque cedit. Ea lege, ut tum pacta pecunia, tum pactus frumenti numerus ſolvantur Domno Stephano Panciot Prorectori Collegii, aut alii cuilibet, quem ad id Cardinalis Abbas, aut ejus Vicarii pro regendo eodem Collegio, deputare maluerint. Scribâ, Rochet; teſtibus, Franciſco Droyn J.V. Doctore, & Joanne Lengut Pictore.

Hìc omnino advertendum eſt : Dominum Joannem Laurentii (qui Rector tunc erat Collegii Sancti Martialis) ne nominari quidem in iis Tabulis, ſed ſolam fieri mentionem Domni Panciot Prorectoris , vel potiùs Collegæ Domni Laurentii in Rectoratu ; jura inſuper omnia, quæ nominatim ſingula memorantur, reſervari ibidem Domino Abbati Cluniacenſi. Is igitur Rectoratus aliud erat nihil, quàm ſimplex, & ad tempus, & Abbatis ſolo nutu, credita cuiquam Procuratio ; quandoquidem & Rex ipſe in ſuis Diplomatibus, & Publici Avenione Tabelliones apertè faterentur ac docerent, eam Dominum ſpectare ad Menſam Abbatis Cluniacenſis. Viſitur ejuſdem anni ſyngrapha teſtis ſoluti pretii à Jacobo Laurentii, ſequenti formulâ : *Ego Iacobus Laurentii Collector Generalis reditnum Abbatia Cluniacenſis , & Membrorum qua pendent ab eadem, pro Illuſtriſſimo ac Reverendiſſime Domino Cardinali de Lotharingia Abbate Cluniacenſi , recepi à Domno Finet curatore & redemptore Prioratûs de Tincto, ſummam , &c.*

Etſi Domnus Joannes Laurentii Rector erat Gymnaſii, non propterea minùs Abbas Cardinalis contulit illi in Titulum, Officium Sacriſtæ Domûs ejuſdem. Superſunt ejus Collationis literæ, datæ die quintâ Januarii, anni 1564. Obtulit autem idem Rector libellum ſupplicem Domno Joanni du Blé Vicario Abbatis Generali, in hanc ſententiam : *Domino Priori Sancti Marcelli Cabilonenſis, Vicario Generali Domini Cardinalis de Lotharingia Abbatis Cluniacenſis*, vel, *eo abſente, Dominis Definitoribus Capituli Generalis proximè futuri. Vos commonefacit Domnus Ioannes Laurentii Rector & Adminiſtrator Collegii Sancti Martialis*, QUOD MEMBRUM EST UNITUM, ABBATIÆ CLUNIACENSI, ET DEPENDENS AB MENSA EJUSDEM ABBATIS.

Hîc lectores advertant velim, ipſum eſſe Collegii Rectorem qui & oret & ſubſcribat. Quis porrò credat, aliquem tam peſſimè de ſe ipſo mereri voluiſſe, déque ſuo Rectoratu, ut ſi illum poſſediſſet in Titulum perpetuum, plenéque liberum ab omni alterius dominio & jure ; ſic ſemetipſum exautoraret ? & ſic de gradu Beneficium ſuum dejiceret, nulláque causâ, alteri declararet obnoxium ?

Anno 1569. Domnus Joannes Cotignon Generalis Vicarius Cardinalis à Lotharingia, &, ut verbis ejus utar, *Ipſius ſpecialiter inſtitutus Inſpector Collegii Avenionenſis*, reditus Prioratuum de Tincto & de Falliſoco, tradit, convento certo pretio, Nicolao Roſſet, *Nomine ejuſdem Domini Cardinalis, ad quem*, inquit, *unum, ſpectat Adminiſtratio redituum omnium Gymnaſii Sancti Martialis.*

Is ipſe Generalis Vicarius, congruas reparationes curavit fieri, in Prioratu de Tincto, ſumptibus Domini Cardinalis Abbatis ; eidémque Vicario hoc ipſo anno, impenſarum rationes redditæ fuerunt à Domno Laurentii Rectore, & à Domno Pelard, Domûs ejuſdem, ut vocant, *Celerario.*

Anno 1575. Domnus idem Joannes Laurentii Rector, & Domnus Claudius Laurentius Pro-rector, qui in partem veniebat Adminiſtrationis Collegii, ſubſcripſerunt ambo rationibus à ſe redditis, tum Cardinali Abbati, tum Domno Claudio à Guiſia, ejus in Abbatia Coadjutori.

Anno 1577. paulò antequam Carolus Cardinalis à Lotharingia diem ſuum obiret, redditæ ſunt rationes Adminiſtrationis Prioratûs de Tincto, cum hac epigraphe : *Rationes Nicolai Roſſet Adminiſtratoris Prioratûs de Tincto , in utilitatem Cardinalis à Lotharingia, Prioris ejuſdem Prioratûs.*

Eodem anno, Domnus Panciot, qui Collegii Pro-rector fuerat, cauſam dixit, nomine ejuſdem Cardinalis, pro re quadam ſpectante ad Prioratum de Tincto : ſumptus pro ſtipendiis Procuratoris qui litem inſtruxerat, certo & æquo pretio fixit, quorum facta eſt ſolutio ab D. Joanne Cotignon, Vicario Generali ejuſdem Cardinalis.

Domnus Claudius à Guiſia, qui jam antè Abbatiæ Cluniacenſis Coadjutor erat

Abbas, ab obitu Caroli Cardinalis, qui hoc ipſo anno mortuus eſt, dedit Adminiſtrationem Collegii D. Claudio Laurentio, qui Collegii ejuſdem Pro-rector anteà fuerat. Porrò conditiones, ſub quibus hæc Adminiſtratio data fuit, magnoperè fuerunt oneroſæ, quas legere eſt in literis ſuper ea re confectis. Nimirum ea Proviſio veriùs Conventio eſt, inter Partes, quæ viciſſim paciſcuntur, ut expreſsè habetur in Inſtrumento ejus Proviſionis. Confertur Laurentio Adminiſtratio, ad annos quinque & viginti, ſeu ad proximè futuras quinque & viginti fructuum collectiones annuas. Adſtringitur ex pacto Rector, duodecim Monachos literis operam dantes alere, & famulos quatuor, quidquid reparationis opus erit, in omnibus villis & domibus ad Collegium Sancti Martialis ſpectantibus, ſuo ſumptu, curare, Inſtrumentum conficere omnium bonorum mobilium ejuſdem Collegii, libros cenſuum & penſionum inſtaurare, promittitque inſuper idem Rector Laurentius, nummos trecentos dare in anteceſſum, ad perficiendas ædes jam conſtrui cœptas, qui trecenti nummi Rectori eidem reddendi erunt, ſi Collegium non Adminiſtret per annos quinque & viginti, vel ſaltèm, per annos novem, & rationem omnium reddere Abbati, ubi tempus expiraverit præſentis hujus conventionis; cùm ſcilicet Abbas Claudius, hunc Claudium Laurentium ſpecialem ſuum inſtituat Procuratorem, ad regimen & Adminiſtrationem redituum Collegii, quos conſumere, ſub conditionibus prædictis, poterit. Scriptum ſuper his rebus Inſtrumentum eſt anni 1578. anno verò inſequenti, is Rector, *Nomine Domni Claudii à Guiſia Abbatis Cluniacenſis*, contulit Adminiſtrationem Prioratûs de Tincto, Bartholomæo Challayon, & Joanni Gaillard Mercatoribus Turnonenſibus, & in Inſtrumento contractûs, inſcribit ſe: *Adminiſtratorem Prioratûs de Tincto, qui eſt de menſa Abbatiali Cluniacenſi.*

Is Domnus Laurentius, dum nominatus fuit Rector, habebat in Titulum, Officium Sacriſtæ ejuſdem Collegii Sancti Martialis, quod Officium deceſſor ejus in Rectoratu ſimiliter habuerat; fuit poſtea Prior de Aleſio in Delfinatu, & deinceps Major Prior Cluniaci, & Vicarius Generalis ejuſdem Claudii à Guiſia Abbatis.

Fundos idem Collegio coemit, ex quorum proventu annuo, libræ Turonenſes exiſtunt trecentæ; quas aſſignavit ad alendos domi pauperes Scholaſticos tres, qui veſte Ordini propriâ uterentur, & literis operam darent, per annos decem, uſque dum, ſi apti viderentur profitendæ vitæ Religioſæ, obtinere, in aliquo Monaſterio Cluniacenſi, locum aliquem poſſent. Confectæ, ob eam rem, literæ ſunt die Martii decimâ, anno 1601. quo etiam obiit Domnus Laurentius, poſteaquam Abbas Claudius à Guiſia cum eo inſtauraſſet, in novem proximos annos, ultimum quod cum eo priùs pactum fecerat, pro annuis reditibus Collegii.

Nunc ad dicendum, eo de Rectore, aggredimur, cujus Adminiſtrationem opus eſt ut expendamus non indiligenter, in omnibus illius circumſtantiis, ad contundendam eorum pervicaciam, qui coacti demum, ex prolatis hactenus, manus dare, & in confeſſis habere: Rectoratum Domûs Sancti Martialis non fuiſſe, in origine ſua, Titulum Beneficii; nullum non deſinunt movere lapidem, ut ſpargant in vulgus: eumdem Rectoratum, tempore hujus, de quo mox Rectore dicturi ſumus, ex mera, quæ fuerat hactenus Adminiſtratione ad nutum Abbatis revocabili, tranſiviſſe tandem in naturam Beneficii in Titulum, adeoque perpetui.

Novus igitur Rector fuit Domnus Antonius Roſſet Prior Sancti Andreæ de Roſanis, in Delfinatu. Procuratio, quam accepit ab Abbate Cluniacenſi, nobis accuratè enarrandâ eſt, & à lectoribus valdè attendenda. Data eſt, illa Roſſeto in eoſdem annos novem, ſeu, ut eſt in tabulis, in eaſdem novem fructuum *Perceptiones*, in quas, datam fuiſſe narravimus Priori Rectori, è cujus ſorore natus

erat hic Roſſetus. Eædem ſunt omnes pacti conditiones, niſi quod Roſſetus cives bene nummatos prædes dare pactionis initæ cogitur, pro ſumma aureorum quingentorum, & præter victum veſtitúmque Monachorum, eleemoſynas conſuetas erogare, neceſſarias curare reparationes, juſtúmque dare ſtipendium, tum Medico, tum Chirurgo, tum etiam Pharmacopolæ: omnibúſque aliis neceſſariis impenſis ſatisfacere.

Ea Roſſeti Procuratio indigitatur nomine *Tranſactionis*, inter Domnum Claudium à Guiſia Abbatem Cluniacenſem, & Domnum Antonium Roſſetum Priorem de Roſanis. Abbas omnia obligat Abbatiæ ſuæ bona, obligat etiam Roſſetus reditus omnes ſui Prioratûs, & alios omnes, quos adipiſci poſſet deinceps. Conficiuntur ea de re tabulæ, anno 1601. quas ratas habet Abbas, anno iterum 1603.

Antequam elapſus eſſet præſtitutus ille annorum novem terminus, die Nov. quartâ decimâ 1606. Abbas idem tradidit Domum Sancti Martialis Roſſeto Adminiſtrandam in annos tredecim, incœpturos, poſtquam anni primæ pactionis novem effluxiſſent. Tum, ſingulari pacto, de reditibus Prioratûs de Fallifoco cum eo convenit, cujus illi Procurationem dedit, *quamdiu Roſſetus viveret*; cum poteſtate conferendi, quibus mallet viris idoneis, Officia ejuſdem Prioratûs; arbores cædendi ad colligandas rates quatuor, præter quatuor rates cædi, quot annis, conſuetas in ſylva Fallifoci. Spondétque, datâ viciſſim fide, Roſſetus facturum ſe, ut indè reditus illius Prioratûs, (qui trecentarum tantùm erant librarum Turonenſium,) libris annuis ſuccreſcerent ducentis; ſoluturum ſe denique, quovis anno (ſpatio annorum duodecim) Abbati, nummos centum, inſumendos reparationibus Monaſterii Cluniacenſis.

En (ſi cœlo placet) Præclara omnino Fundamenta, quibus olim machina ſuperſtruatur Beneficii novi in Titulum!

Verùm, tam bellis Roſſetus promiſſis támque luculentis haud ſtetit; quippe qui ſtatim aggreſſus eſt ad ſternendas Fallifoci ſylvas, non ſolùm contra pacta, ſed etiam contra Regium Jus. Interceſſit facinori Abbas extemplò, & Senatuſconſulto Curiæ Aquenſis itum eſt adverſus Roſſeti audaciam. Pollicitus fuerat nummos centum annuos (annis duodecim continuis) perſolvere Abbati, quam rem æquè neglexit. Autographam Gallicè legimus Abbatis Claudii à Guiſia ad Roſſetum epiſtolam, eâ de re, datam anno 1609. *Quod attinet*, inquit Abbas, *ad Collegium noſtrum quod tam bene Adminiſtras, ejus nos tibi curam & Adminiſtrationem commiſimus in tam longum temporis ſpatium* (non igitur, quoad viveret Roſſetus, illi Abbas Collegii curam tradiderat) *ut, vel ex ea re, anſam debueris capere regiminis quàm optimi, & Domûs bonum provehendi ſemper in melius. Da verò operam ut quantociùs æris quam Nobis debes ſummam perſolvas, vel Nobis, vel iis qui juſſi à Nobis fuerint eam recipere, magnopere enim es in ære reliquo, debitæ nobis à te annuæ penſionis. Ultima quam à nobis habiturus es ſyngrapha ſoluti à te pacti pretii, rem totam explicabit.*

Mala Roſſeti fides, &c, quas adhibebat in anteceſſum, cautiones ne amoveri unquam à Rectoratu poſſet, faciebant ſolæ, cur Abbatem Roſſetus, ſi non re, fallacibus ſaltèm demulceret epiſtolis.

Nam, eodem tempore, quo Abbatem adhortabatur, ne præclara Fallifoci & Malæmeſſis prædia divendere vellet Dynaſtæ de Mirabeau, qui ea prædia licitabatur; ipſe idem Roſſetus jactabat, inſcribebátque ſe: *Dominum Fallifoci, Priorem de Tincto, & Rectorem Gymnaſii Sancti Martialis dependentis ab Ordine Cluniacenſi.* Cùm debuiſſet ſcribere: *Dependentis à Menſa Abbatis Cluniacenſis.*

Nemo erat cui non Roſſetus illuderet, falsâ illâ collati ſibi, *ad vitam*, Rectoratûs Larvâ: ſub obtentu conceſſæ ſibi (ut monuimus) *quamdiu viveret*, Adminiſtrationis, *ſolius Prioratûs de Fallifoco.* Tribuens ſiquidem vim ejus clauſu-

læ (*ad vitam*) Rectoratui Collegii Sancti Martialis, quam clauſulam obtinuerat ab Abbate tantummodò pro regimine Prioratûs de Fallifoco, fefellit (per ſummum nefas) Pontifices tres, & totidem Abbates Cluniacenſes, duóſque Prolegatos. Sed morte Abbatis Claudii à Guiſia quæ contigit anno 1612. omnia Roſſeti in futurum aſtus atque conſilia, ambitionis plena & avaritiæ, conturbata ſunt. Expavit enim vehementer, ubi reſcivit revocatum ſe fuiſſe ab Adminiſtratione Gymnaſii, ab Cardinali Ludovico à Guiſia, qui Claudio Abbati ſucceſſerat, & qui ſtatim novum creaverat Gymnaſiarcham S. Martialis, Domnum nempe Franciſcum de la Cour, Priorem Montis-deſiderii, & quidem quamdiu is Domnus Franciſcus vixiſſet.

Novus is Rector valdè ſibi timens à Roſſeti vafritie, qui Rectoratu potiebatur Avenione, primus omnium fuit, cui in mentem venerit adire Pontificem, ut ab eo literas impetraret, quibus ratam haberet Procurationem ejus Officii, quâ illum impertiverat Cardinalis Abbas.

Id ubi cognovit Roſſetus, peritiſſimos ſtatim Avenionenſes cauſidicos adhibuit in conſilium, paratúſque quidvis & agere & pati, priuſquam de Rectoratu, Adverſario ſuo concederet; litem illi movit Avenione. Habemus Concluſiones, quas ſcripſit tunc in gratiam Roſſeti, is qui vices gerebat Procuratoris (ut vocant) Fiſcalis, Papæ; nomine, *De Gras*: quæ Concluſiones, (ex iis quæ Roſſetus poſteà geſſit) clariſſima fuerunt condemnatio Duplicis illius hominis. Concludit ſcilicet Procurator ille Fiſcalis: Rectoratum Domûs Sancti Martialis non debere dari, *ad vitam*; Perpetuitatem in eo Officio (ſi ab Abbatibus induceretur) obfuturam Pontificis rationibus: Quantùm porrò attinet ad Confirmationem, quam Domnus De la Cour obtinuerat Romæ, Pontificem (ſi ita loqui licet) habere manus colligatas, per Bullam Paulinam, quâ prohibetur, ne qui gerunt, in Ordine Cluniacenſi, Munia ſeu quæ vocant Officia Manualia, id eſt Procurationes & Adminiſtrationes, poſſint ejuſmodi Officiorum petere, vel inſtitutionem vel confirmationem à ſummis Pontificibus.

Qui ſic concluſit, bene admodum ratiocinabatur & verè: potiores tamen citare potuiſſet auctoritates, ſi nempe compertam habuiſſet Conſtitutionem Joannis XXIII. datam ad S. Antonium extra muros Florentiæ, 13. Kalend. Nov. anno Pontificatûs ſui IV. quâ, illud idem, expreſſioribus verbis, cavetur. Credibile etiam eſt virum eumdem ignoraſſe, Bullam aſſervari in Tabulario Cluniacenſi, quæ inſcribitur *Minor*, quâ Benedictus XII. diſertiſſimè ſancit: *Quod ſi quis ſit Firmator & Admodiator in Ordine Cluniacenſi, etiam Confirmatus per Pontificem, revocari poteſt ab Abbate Cluniacenſi.* Qui hanc epitomen Chronologicam legerit, meminerit dubio procul, eos titulos *Firmarii*, *Firmatoris* & *Admodiatoris*, non ſemel occurriſſe datos ſibimet ab ipſis Rectoribus Collegii Sancti Martialis; ipſúmque hunc Roſſetum, ne retrò ſuprà gradiamur, id agnoviſſe, qui fatetur ipſémet: ſuum Rectoratum, nihil aliud eſſe quàm pactum condictum, certis conditionibus, vel, ut vocavit, *Tranſactionem.*

Hîc temperare non poſſumus, quin verſutiſſimam Roſſeti perfidiam execremur, qui mordicus aſſeruit ubique gentium, datam ſibi fuiſſe ab Abbate Claudio à Guiſia Rectoratum, *ad vitam*, quod ille *De Gras* Pontificius Procurator, ex re & ex mente Roſſeti Concludens in Judicio, nec unquam factum fuiſſe, neque verò fieri potuiſſe ab Abbatibus Cluniacenſibus; ſine diſpendio Pontificii juris, docuerat.

Poſtquam Roſſetus, quâ potuerat arte, præcaviſſet Avenione impendentibus ſibi incommodis, ſibi ſtatim Pariſios eundum eſſe vidit, quò etiam curavit ut ſe conferret futurus adjutor negotii, è propinquis ſuis unus, nomine *Fabry*, patriâ Dinienſis. Ibi ſtudium Roſſeti unicum fuit, diem de die ducere. Dare bona verba ſategit novo Rectori D. Franciſco de la Cour, illique potiſſimam redituum partem

Digitized by Google

promittere, cum titulo Rectoris: petens ſolummodò, ut, in eos ſex annos, qui ſibi ſupererant ex ultimo pacto quod inierat cum Claudio Abbate, permitteretur ſibi curatio negotiorum, quæ, ut ajebat, ſic implexa erant & involuta, ea ut nemo, præter ſe ſolum, explicare unquam poſſet.

Eâ ſpe lactatus, & tam mellitis delinitus verbis Domnus de la Cour, pacificum iniit tractatum die 14. Aug. 1612. de conſenſu Cardinalis à Guiſia, qui ratam habuit eâdem die Procurationem quam habuerat Roſſetus ab Abbate Claudio à Guiſia.

In eo tractatu, narrat Roſſetus, ſe vidiſſe pactum, & ut loquitur, *Contractum legitimè actum ab Abbate Cardinali, cum Domno Franciſco de la Cour, ad gerendum Rectoratum & Adminiſtrationem Gymnaſii Sancti Martialis, Membri dependentis, uniti & incorporati Abbatiæ Cluniacenſi, & conveniſſe cum eodem D. Franciſco de la Cour Rectore vero, ex voluntate & beneplacito Cardinalis Abbatis, ſe Roſſetum gubernaturum adhuc, ſex reſiduos annos, Collegium, &c.*

Vi hujus tractatûs, venit Avenionem D. de la Cour, & indè adiit Podiolenum, ubi poſſeſſionem iniit ejuſdem Prioratûs, ex quo potiſſimi reditus Domûs Sancti Martialis eruuntur. Atenim ut Roſſetus non poterat, ſedato corde, cogitare: exeundum ſibi eſſe de Gymnaſio, poſt annos ſex; ad artes novas animum appulit. Denunciavit, homo ſupra ceteros doloſus & infidus, Cardinali Abbati Domnum de la Cour, in grave damnum Abbatiæ Cluniacenſis, clàm elicuiſſe à Pontifice, ut ſibi confirmaret Procurationem Collegii: ſe verò promptiſſimum oſtendit decertare, (victoriæ ſecurum) pro eadem Collegii Procuratione, eam ſibi Roſſeto ſi vellet Cardinalis, item *ad vitam*, impertiri, quamvis Procurationem ſuam Domnus de la Cour Romæ confirmari ſategiſſet.

Eâ delatione Cardinalem à Guiſia exaſperavit in Domnum de la Cour, cui proptereà cùm infenſus eſſet Cardinalis, non gravatè Roſſetto conceſſit Gymnaſii præfecturam, *ad vitam* anno 1613. quæ quidem unica eſt illius modi Inſtitutio, quam Roſſetus unquam extorſerit. Porrò ad exemplum ceterarum ea conſcripta eſt: Pactum eſt nimirum cum Roſſeto factum, uti fieret cum quovis alio redituum redemptore, certis conditionibus. Tabellionibus *Herbin* & *Richer*, Pariſiis. Et ſanè nihil unquam cogitavit minùs Roſſetus, quàm de adeundo Beneficio in Titulum, qui videlicet intendebat curas in id unum, certam ut ſibi faceret Gymnaſii Adminiſtrationem, in tempus quàm longiſſimum, & eam in rem novam litem moliebatur. Fideì homo Punicæ, qui paulò anteà, unà cum Cauſidicis Avenionenſibus & cum Pontificio Procuratore, defenderat nunquam poſſe ad Pontificem confugi, ad impetrandum ab eo Officium aliquod Cluniacenſis Ordinis; qui nuper fidem ſuam Cardinali Abbati obſtrinxerat, ab ea ſe regula diſceſſurum nunquam eſſe; paulò pòſt, ſuam in eo Rectoris Officio Confirmationem efflagitavit, habuitque à Paulo V. anno 1614. tam clanculum tamen, ut Abbatem id Cardinalem latuerit. Mox Adverſarium ſuum ad Judices ſtatim provocavit, tum Avenione tum in Provincia: ſed cùm is iviſſet in oppidum *Bagnols*, quo in oppido. pepigerat, de reditibus Podioleni, cum Ludovico Champel Mercatore, ibidem extinctus eſt paucis pòſt diebus quàm eò venerat, non ſine vehementi ſuſpicione Roſſetum (quod vel recitare refugit animus) mortem eam conſciviſſe, quæ quidem ſuſpicio, in vicinia ejus oppidi, vel adhuc in ore multorum eſt.

Poſteaquàm mortuus eſt Domnus de la Cour, Rectoratus Collegii fuit penes eumdem Domnum Roſſet, vi Inſtitutionis ſeu Procurationis quam habuerat, ab Cardinali à Guiſia. Is Cardinalis (ut norunt bene multi) alia omnia tunc temporis verſabat animo, quàm res ſpectantes ad Abbatiam Cluniacenſem, cujus rationibus haud peræquè invigilabat, ac gemini invigilarant Cardinales, quos

Digitized by Google

habuerat Deceſſores eodem prognatos ſanguine. Hâc igitur Cardinalis Guiſii oſcitantiâ uſus cautè eſt in rem ſuam vafer homo Domnus Roſſet. Petiit nempe & obtinuit clanculum novas Confirmationes à Paulo V. anno 1616 & 1617. & ancipitem hanc viam nunquam inire deſtitit, novam emendicandi confirmationem à Pontifice ubi novus creatus fuerat, & novam item Procurationem ab Abbate Cluniacenſi qui in Defuncti locum fuiſſet ſubrogatus, atque ita egit cum Gregorio XV. & Urbano VIII. & cum Cardinali Richelio.

Atenim ſi paulò diligentiùs ea Pontificum diplomata, inſpicere quis velit, tantùm abeſt, ut ex iis aliquid eruat quod adverſetur Juri Abbatum Cluniacenſium, quin potiùs Facultas inſtituendi ad tempus, & pro arbitratu revocandi Rectorem quemlibet, ſarta tecta multò magis iiſdem Abbatibus conſtet. Quod ut planum faciam, ſatis habeo nonnulla obſervare in Diplomate Urbani VIII. quod nimirum ultimum eſt Diplomatum quæ Domnus Roſſet impetrarat, & in quo mentio habetur eorum, quæ Paulus V. & illius quod Gregorius XV. Roſſeto eidem dederant.

In confeſſo eſt apud omnes, ad hoc ut Officium aliquod, quod Procuratorio tantùm nomine geritur, tranſeat in Titulum Beneficii perpetui, neceſſarium eſſe, ut vel Bulla quædam Pontificia extet, quæ (ut dicitur) erigat hoc Officium in Beneficium, vel ſaltèm ut Pontifex, ter, ex ordine, & continenti tempore, quod ad minimùm annorum quadraginta ſpatium impleat, & citra omnem controverſiam, Officium hujuſmodi Tribus conſequenter Perſonis contulerit in Titulum Beneficii. Atenim nil ſimile in caſu noſtro factum eſt, cùm per ſe pateat repetitas viciſſim, quas memoravimus, Roſſeti Ejuſdem confirmationes à tot Pontificibus, & ab tot Abbatibus Cluniacenſibus, non Beneficii perpetui naturam adſtruere, ſed potiùs evidenter evertere.

Quidquid fermè in ſuo ſupplici libello, narrat Roſſetus Summo Pontifici, falſitate laborat, ex quo fit ut Diplomata deſuper obtenta, propter ſubreptionem nulla prorſus ſint. Palmarium Roſſeti proferamus mendacium.

Dicit Domnum Claudium à Guiſia, dediſſe ſibi Roſſeto Rectoratum Collegi quamdiu ipſémet Roſſetus viveret. Vidimus tamen ex ipſiſmet literis ultimis anni MDCVI. Abbatem Claudium à Guiſia, commiſiſſe Roſſeto, ad annos tantùm tredecim, Rectoratum Collegii.

Falſo hoc & mendaci poſito fundamento, collati ſibi, *ad vitam*, Rectoratûs, mendacia ſtruit & cumulat mendaciis. Quippe induxerat animum, ſi ſemel ratam Pontifex habuiſſet, eam quam jactabat falsò & impudenter conceſſam ſibi ab Claudio Abbate Procurationem perpetuam, ſibi poſtmodum in proclivi fore, ut omnes impunè, eo obtentu, ludificaret tum Pontifices tum Abbates Cluniacenſes.

Quam obtinuerat à Cardinali Richelio, recentior erat Proviſio, quàm ut Roſſetus auderet narrare Pontifici datam ſibi fuiſſe, *ad vitam*, ab eo Cardinali. Hinc eſt quòd Urbanus VIII. eam ab Cardinali Richelio datam Procurationem, eo ſolùm modò habeat ratam, quò data fuerat ab Cardinali Richelio. *Proviſionem hujuſmodi autoritate Apoſtolicâ approbamus & confirmamus.* Intereà cùm fermè uſu veniat ut mendaces poſtquam diu perditè mentiti fuerint, eò tandem deveniant, ut neſciant ſe mentiri, vel dum mentiuntur impenſiùs, id Roſſetus ſanè mentiendo eſt conſecutus, nam ita frontem perfricuerat, ut non erubuerit ſcribere ad curatores & cognitores negotiorum Eminentiſſimi Richelii, annis MDCXXXVII. & MDCXLII, demandatam ſibi fuiſſe, *ad vitam*, Procurationem Collegii, ab ipſómet Cardinali Richelio.

Pergit mentiri Roſſetus ſtrenuè, dum áit Claudium Abbatem commiſiſſe ſibi eum Rectoratum, *ob ſingularia ſua merita*, *ingenii ſui ſolertiam & Diſciplinarum*

Digitized by Google

peritiam; præ manibus tamen nobis eſt autographum epiſtolæ quam Roſſetus ſcribebat Claudio Abbati anno 1595. cùm Domnus Laurentii, Roſſeti avunculus agebat in extremis, ubi hæc legimus: *Si ita tibi videretur, ut mihi committere Officium velles, quod meus gerebat avunculus, omnia ego ſolvam quæ juſſus fuero, & intactam tibi relinquam omnem pecuniam quæ ex reditibus Collegii conficitur.* Eſcam Roſſetus, quâ certò capi Abbatem noverat, Claudio porrigebat, apud quem Pecunia Roſſeti, vicem omnis implebat meriti.

Quod ad laudes attinet quas ſibi plenis buccis ipſémet Roſſetus impertit, in eo libello ſupplici quem obtulit Pontifici, conferendæ ſunt illæ cum vero elogio ejuſdémmet Roſſeti, quod habetur in ſupplici itidem libello, quem Paulo V. porrexere Monachi Collegii Sancti Martialis anno 1615. Coacti demum ii fuerant opem implorare Pontificis, ubi perſpexerant, vanas cadere preces & querimonias Abbati ſuo tam ſæpe oblatas, de peſſimo regimine Roſſeti; qui ſcilicet Cardinalis Guiſii Domeſticos & Procuratores muneribus, ſuo de more, corrumpebat.

Ii Monachi non petunt ſibi dari novum Rectorem à Pontifice, ſed ad eum confugiunt ut velit aliquem Avenione delegare, qui & dolis Roſſeti ac malis artibus occurrere, & ejuſdem dona, pro ſua virtute, poſſit contemnere. Habetur is ſupplex libellus folio hujus ſcripti ſeptimo & ſexageſimo, quem ut velint adire lectores deprecamur. Legent, non ſine horrore, Roſſetum exegiſſe ſex Monachos è ſuo Prioratu de Roſanis, Templa ad Collegium Sancti Martialis, in variis locis, ſpectantia, ſitu & ſordibus obſoleviſſe, avariſſimâ Roſſeti ejuſdem incuriâ; ſex tantùm vel ſeptem Monachos ab eodem tunc ali, & quidem jejuniſſimè, in Sancti Martialis Gymnaſio, à cujus aditu miſſum ab Abbate Cluniacenſi Inſpectorem, qui Generalis erat Ordinis Vicarius, prohibuerat manu armatâ; integras ſylvas, præter jus faſque, ab eo cœdi, & ligna, ſuo unius emolumento, diſtrahi; viris Catholicis præhabere Hæreticos quibuſcum paciſcatur de reditibus Collegii, unde factum ſit ut viros profitentes Hæreſim in plura loca invexerit, à quibus ſemper hactenus exulaverant, carnes eum eiſdem comediſſe, vel in ipſo Collegio, tempore Quadrageſimæ; proventus omnes vel comeſſationibus ab eo abſumi vel continuis litibus, Roſſæum denique libidinibus ſuis eſſe, totâ vrbe, infamem. Aſſervatur is ſupplex libellus in Tabulario Collegii Sancti Martialis. Unde mores noſcas illius hominis, qui primus per nefas attentavit perpetuitatem Officii ſui inducere; eſt ſanè cur pigeat pudeátque talis Choriphæi, eos, quos dehinc ejuſdem conſilii pœnitere non potuit.

Cetera Roſſeti mendacia, in ſuo illo ad Pontificem libello ſupplici, prudens prætereo, quod ait, exempli causâ, Collegium, per Bullam, fundatum fuiſſe in Univerſitate Avenionenſi, Cardinalem de Croſo fuiſſe ejus Fundatorem, inſtitutum fuiſſe ad alendos ſolùm duodecim Scholaſticos, & alia pleraque, quibus omnibus reſpondetur, vulgari formulâ: *modò preces Veritate nitantur.*

Hîc tamen obſervandum eſt, falſa illa Statuta, quibus Rectoratus dicitur eſſe Titulus Beneficii perpetui, conficta nondum fuiſſe anno 1632. nam ſi Roſſeto nota tunc temporis fuiſſent, ut ille nulli parcebat operæ, quò dejici nunquam poſſet de Rectoratu, non flagitaſſet ſanè Confirmationem in eo Officio Procuratorio, ſed dari ſibi eum Rectoratum poſtulaſſet à Pontifice, tanquam verum Beneficii Titulum, quandoquidem in uno, ex adulterinis illis Statutis, quæ approbata fuiſſe volunt à Clemente VII. diſertè habeatur, Rectoratum Collegii Sancti Martialis, in primæva ſui Inſtitutione, Beneficium extitiſſe perpetuum.

Scimus, inter eos qui jus profitentur Canonicum, non deeſſe qui doceant, eum qui vel merus Adminiſtrator ſit, ſi confirmatus in ſua illa Adminiſtratione fuerit à Pontifice, ab eâdem non poſſe revocari ab illo etiam Prælato, à quo primùm jus Adminiſtrationis acceperat, donec tempus gerendæ Adminiſtrationi præfinitum, elapſum

Digitized by Google

elapſum fuerit. Sed utut habeat hujuſmodi opinio, quæ vim obtinere nullam poteſt in Adminiſtrationibus datis ab Abbate Cluniacenſi, id prohibente Bullâ eidem Abbati conceſsâ à Benedicto XII. Doctores iidem, unanimi conſenſu, tradunt, profectas à Superiore, put à Pontifice, Confirmationes hujuſmodi, intactam omnino relinquere Naturam Officii Adminiſtratorii, ita ut, exacto tempore, pro quo data Confirmatio fuerat, res in eodem prorſus ſtatu ſuperſint, in quo fuerant ante Confirmationem Pontificis; qui per diſpenſationem hujuſmodi, aliquam nominatim Perſonam, gratiâ quidem ſpeciali proſequitur, ſed Naturam Adminiſtratoriæ Procurationis non mutat.

Quamdiu Domnus Jacobus d'Arbouſe fuit Abbas Cluniacenſis, nihil immutatum eſt in regimine Collegii; aſt ubi in Jacobi locum ſuffectus fuit Cardinalis Richelius; tunc omnes Roſſetus nervos contendere, omnia magis acuere doloſiſſimæ mentis acumina, exerere omnes aſtutias, ne in tam lubrico gradu offenderet. Et illi quidem (quod mirere) etiam adverſus Richelium artes fraudéſque ſucceſſere, nam uno pòſt menſe quàm is Cardinalis electus fuiſſet Abbas Cluniacenſis, ad eum Roſſetus adiit tunc degentem in Caſtris ad Privatum in Occitania, anno 1629. ibique recoctus veterator Confirmationem in Adminiſtratione Collegii ab eo obtinuit, iiſdem conditionibus, quibus ab Abbatibus deceſſoribus Richelii eamdem Roſſetus Adminiſtrationem habuerat. Sed reticuit homo duplex euræ ſibi elàm fuiſſe, ut Pontifices duo, Paulus V. & Gregorius XV. ipſum ſuis muniviſſent diplomatis: atque reticuerat, per totos annos ſex, quibus Ludovicus Cardinalis à Guiſia Abbatiam Cluniacenſem rexerat, binas quas impetrarat à Paulo V. Bullas. Verùm ubi is Cardinalis fato ſuo functus eſt, ſtatim Roſſetus anno 1622. per libellum ſupplicem petiit à Domino du Nozet, qui tunc Avenione vices agebat Legati, ut Bulla Pauli V. anni 1616. promulgaretur. Is ſupplex libellus, qui nobis eſt in manu, nihil aliud eſt quàm perpetua fraudium & mendaciorum conſarcinatio. Id egit nimirum homo arte plenus veteratoriâ, ut Domnum Jacobum d'Arbouſe, Cardinalis à Guiſia in Abbatiali dignitate ſucceſſorem, harum oſtentu Bullarum, quodam quaſi terriculo, averteret à cogitatione mittendi novum Rectorem in Gymnaſium Sancti Martialis; ratus, Jacobum (qui ex Cluniacenſi Monacho electus fuerat in Abbatem, & minoris proptereà autoritatis erat, præ ſuo Deceſſore, cui tum ſplendor natalium, tum Romana Purpura & animos & vires ad tuendum jus ſuum miniſtraſſent) ratus, inquam, Jacobum Abbatem nunquam commiſſurum, ut contenderet Avenione cum Miniſtris Pontificiis; qua in re Roſſetum ſua non fefellit opinio. Sategit tamen nihilo ſegniùs, novum conſequi Confirmationis ſuæ diploma à Gregorio XV. hoc eodem anno 1622. de quo perinde ſiluit, uſque ad annum 1630. cujus diplomatis publicationem poſtulavit, eo anno, ab Prolegato Filonardi; magno metu perculſus, quòd reſciſſet Domnum Joannem de Brou Archidiaconum Cluniacenſem, nominatum fuiſſe in Inſpectorem ſeu Viſitatorem Gymnaſii Sancti Martialis, quem voluit arcere ab ingreſſu Collegii, & ab ingreſſu Prioratûs de Podioleno.

Tot doli támque mali, tot artes támque indignæ viro liberali & frugi, non potuere diu latere Abbatem Cardinalem Richelium. Ille viros Pariſiis delegerat, quibus conſulentibus in commune, curam rerum commiſerat ad Cluniacenſem Abbatiam ſpectantium. Præſes ejus conventûs erat Carnotenſis Epiſcopus, de cujus conſilio itidémque Domini Fouquet, decretum eſt: deturbandum eſſe de ſuo Rectoratu Roſſetum. Igitur Cardinalis Abbas Roſſeto imperavit pro poteſtate, & in virtute (ut loquuntur) ſanctæ Obedientiæ, ut ſe conveniret Pariſios. Cauſam ne parêret attulit Roſſetus, infirmam valetudinem. Actum eſt in-

dulgenter cum homine dejerante ſe infirmum eſſe, conceſſúmque illi, ut, loco ſuo, filium ſororis, cujus nomen erat Billoty, mitteret Lutetiam. Ut ſe is ſtitit in concilio delegatorum ab Cardinali Abbate, dixit illi, graviſſimis verbis, Carnotenſis Epiſcopus, probè Eminentiſſimo Abbati innotuiſſe, Avunculum ejus Roſſetum, qui Inſtitutionem pro Rectoratu ab Abbatibus tribus Cluniacenſibus & efflagitarat & obtinuerat, ipſum eumdem recurriſſe ad Pontificem, ut ab eo pares pro eodem Rectoratu Inſtitutiones eliceret. Reſpondit Billotius Avunculum ſuum ad Pontificem confugiſſe, ut ſe contra eos tutaretur, qui multò magis avebant Gymnaſium Sancti Martialis ſubtrahere de jure Cluniacenſis Ordinis, quàm ipſúmmet Roſſetum ab eodem Collegio excludere: Eminentiſſimum Richelium dediſſe Roſſeto, *ad vitam*, Adminiſtrationem illius Domûs: Roſſetum jam ſenio confici, utpote qui non abſit ab anno ætatis ſeptuageſimo: expelli illum ab ea Adminiſtratione, quandoquidem de nullo crimine arceſſatur, durum prorſus videri & inhumanum: ſe Billotium obligare fidem ſuam, traditurum ſe Abbati Eminentiſſimo omnia Diplomata Romæ obtenta ab Avunculo ſuo, dummodò ipſe Abbas Roſſeto (illi bono ſeni) non gravetur, *ad vitam*, confirmare, tum Magni, ut vocant, munus Vicarii, tum Adminiſtrationem Gymnaſii.

Monachi Congregationis Sancti Mauri ſocietatem id temporis iniverant cum Monachis Cluniacenſibus obſervantiæ ſtrictioris, & cogitarant ſeriò de procuranda uni è ſuis Adminiſtratione Gymnaſii Sancti Martialis. Expalluit ſcilicet Roſſetus ad id nuntii, veritus ne aliqui ex iis Patribus Sancti Mauri, qui Pariſiis veniebant Avenionem, è Gymnaſio ipſum ejicerent: undè utendum ratus gratiâ quâ pollebat apud Prolegatum Sforciam, ab ipſo impetravit, ne Avenione admitterentur Patres, ſub umbra graſſantis peſtilentiæ. Eâ re confectâ, timuit Roſſetus ne, ob eam, reus haberetur apud Richelium violatæ publicæ libertatis, quod infortunium ut à capite ſuo averteret, ſcripſit confeſtim egregius technarum faber ad Dominum Des-Roches, unum è præcipuis conſiliariis, quos Lutetiæ Pariſiorum (ut dictum eſt) Cluniacenſibus negotiis Cardinalis Abbas præfecerat. Habemus epiſtolam, cujus ipſámet verba Latinè profero: *Se prorſus inſcio, Avenione præcluſas fuiſſe Urbis portas, ob luem vagantem, Patribus Sancti Mauri, qui latores erant certorum ſcriptorum, quæ ſibi Roſſeto per Apparitorem & ſignificanda & in manus tradenda erant. Nam cùm ego*, inquit, *in Urbe degam, quæ ſub Pontificia ditione eſt, ut ab eorum minis tuerer me, objeciſſem ipſis, ex ſolemni formula juris, Diploma Pontificium, quo cavetur ne me quis interpellet, quod ego Diploma mihi comparaveram tantò antè, quod quidem Diploma fuit mihi pernecеſſarium, cùm vitam agam in regione quæ juris Pontificii eſt, quod tamen nulli damno eſt, nihilque planè detrahit auctoritati Abbatum Cluniacenſium, à qua nunquam animus fuit ſubducere me; idque vel eò præſertim quòd Abbas Eminentiſſimus ultro me Collegii ſui Rectorem creaverit*, ad vitam. Quod quidem Roſſetus tam impudenter quàm falsò dictitabat ſemper. *Meus olim Avunculus*, ſubjungit, *& ego collocavimus Gymnaſium in eo ſtatu in quo nunc eſt, quando enim huc venimus, duo tantùm Monachi ſupererant, quibus vix erat undè vitam tolerarent.* Pergit deinde: *Rogo te, Domine mi, juri ut meo patrocineris, circa Proviſiones quas accepi à Dominis meis Abbatibus Cluniacenſibus, tam pro Rectoratu*, ad vitam, *quàm pro Adminiſtratione, non obnoxia rationibus ullis reddendis olim, quam ipſe mihi confirmavit Abbas Eminentiſſimus: porrò ita confido de benignitate, æquitate, & prudentia veſtrî omnium, quot in conſilium adhibet ille, ut à vobis ſperem retentum iri bonum ſenem, in eo Rectoratu, quem gerit ab annis quadraginta.* Scripta eſt hæc epiſtola anno 1637.

Prolixum, hoc ipſo tempore, miſit ſcriptum Roſſetus Carnotenſi Epiſcopo, in quo, præter alia, fatetur: *Se, cùm obtinuiſſet Inſtitutionem pro regendo Gymnaſio Sancti Martialis ab Abbate Claudio à Guiſia; impetraſſe à ſummis Pontificibus Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. eam Inſtitutionem ut ratam haberent: confugiſſe ſe ad eam Romanam cautionem, eo tantùm animo, ut ſe tutum præſtaret à Patribus Sancti Mauri, qui jam admiſſi erant Cluniaci, & in Arce Sancti Andreæ ad Avenionem*, concludens in hanc ſententiam, *è re eſſe Abbatis Cluniacenſis, ne unquam Monachi Sancti Mauri in Gymnaſium admittantur, quibus admiſſis*, inquiebat ille, *Abbas Cluniacenſis excidet in perpetuum jure Nominandi Rectorem.*

Dum Cardinalis Richelius Perpinianum iret, & ſubſtitiſſet in urbe Sancti Spiritûs, anno 1642. eam Roſſetus non eſt paſſus abire opportunitatem, eadem quæ modò diximus, iterum commonendi tum Cardinalem Bichium, tum Epiſcopum Carnotenſem. Quod ubi à Patribus Sancti Mauri cognitum eſt, duo ex iis contulerunt ſe Taraſconem, in reditu Richelii ab obſidione Perpiniani, adducto ſecum Domino Damiano Avenionenſi cauſidico, ibique, ope Cardinalis Bichii & Epiſcopi Carnotenſis, rogarunt enixè Cardinalem Abbatem, ut ad Roſſeti geſta animum vellet advertere: quod ſi faciat, confeſtim palàm fore, *Verſipellem Roſſetum, Transfugam hinc inde agere*, Vernaculè ſic dicunt: (qu'il vivoit en Bigarrat) quæ vox ſonat: *Verſicolorem. Utpote qui Romanis Diplomatis nitatur adverſus Abbates Cluniacenſes, & Inſtitutionibus ſeu Proviſionibus Abbatum Cluniacenſium tueatur ſe, adverſus Legationis Avenionenſis Miniſtros.*

Diem ſuum obiit Richelius ſub finem anni 1642. ſuum verò Roſſetus ſex menſibus pòſt; quò factum eſt, ut occurſum non fuerit tot exorſis à Roſſeto machinationibus contra jura Abbatum Cluniacenſium, quas Richelium convulſurum fuiſſe, ſi diutius viveret, non eſt cur dubitemus. Sed hic caſus anſam dedit gravioribus multò machinationibus, technis ac fraudulentiis, quas ſupereſt ut breviſſimè enarremus.

Cùm Rectoris Officium Roſſetus tenuiſſet, eo modo, quo dictum eſt; nemo certè eſt, (niſi quem excæcet cupido ſordidus) qui ſeriò inducat animum, morte Roſſeti, vacaſſe Beneficium in Titulum, quod à Prolegato Avenionenſi, jure, poſſet conferri.

Procuratio, quam Abbates Cluniacenſes Roſſeto dederant, primùm in annos novem, & deinde in annos tredecim; Confirmationes duodecim (non enim fuere pauciores) quas vicibus impetrarat Roſſetus idem, tum à Pontificibus, tum ab Abbatibus; tot, inquam, diplomata, argumento erant & quidem ineluctabili, Rectoratum Collegii Sancti Martialis, ex natura ſua, non magis eſſe Titulum Beneficii perpetui, quàm ſint ejuſdemmodi temporariæ Adminiſtrationes, in ceteris Religioſorum familiis.

Ipſum nomen *Tituli* aut *Beneficii*, reſpectu Gymnaſii Sancti Martialis, fando nunquam eatenus, in ea Domo, auditum fuerat.

Nulli unquam Monacho Sancti Benedicti venerat in mentem, ut eum Rectoratum vel ſibi Romæ conferri peteret, ut verum Beneficium, vel etiam Avenione, ubi Prolegatis tam erat in proclivi, jure quod vocant *Præventionis*, vanas efficere Abbatum Cluniacenſium nominationes ad Rectoratum.

Nulla unquam viſa fuerat vel *Reſignatio*, in manus Prolegati, vel *Proviſio* quam vocant *per obitum*, licèt ſuam diem extremam, Rectores ejus Gymnaſii, ea in urbe, clauſiſſent multi.

Sed neque repertus fuerat aliquis, qui hunc ſibi Rectoratum poſtulaſſet, titulo *Deſerti Beneficii*, quod tamen poſtulare fuerat tam pronum & tam æquum,

ſi is Rectoratus fuiſſet Titulus Beneficii ; nullus enim poterat ignorare : Abbates Cluniacenſes rexiſſe ſemper id Collegium per merum Procuratorem ad nutum revocabilem, & nunquam contuliſſe ejus gubernationem alicui, qui Domûs illius fuiſſet *Titularis*, ut vulgò dicitur : quod quidem valet pro eo præſertim tempore, quo præſentes Pontifices Avenione, Collegii Fundationem ratam habuerant ; & per primos, à Fundato Gymnaſio, annos quinque & viginti, ſemper viderant Domum eam Adminiſtrari ab Procuratoribus Ordinis in Curia Romana.

Quin, nemo non viderat, per annos fermè trecentos, uſu nunquam abrupto, gubernatum fuiſſe illud Collegium à Rectoribus, quos, merâ voluntate ſuâ, Abbates commutabant.

Res in eo ſtatu erant dum Roſſetus efflavit animam. Roſſetus idem, & Sacriſta in Titulum Domûs Sancti Martialis, & ejuſdem Rector erat, quæ duæ (quod tam ſæpe monuimus) dignitates in uno eodémque viro coïre, citra diſpenſationem, non potuiſſent, ſi Rectoratus perinde Titulus fuiſſet, ac Sacriſtæ munus Titulus eſt. In hoc *Ultimo*, quem deduximus, Rectoratûs *Statu*, qui Status aberat quàm longiſſimè à Statu Beneficii, coegit ſacra auri fames Domnum Gaſparem de Simiane de la Coſte Monachum Abbatiæ Sancti Victoris Maſſilienſis, (quæ non eſt Domus Congregationis Cluniacenſis,) ut eum ſibi, quovis periculo, ſatageret conferri, tanquam is eſſet verum Beneficium, ab Avenionenſi Prolegato Sforcia; qui novâ prorſus & hactenus inauditâ Collatione planè contrariâ legi Gymnaſio dictæ in primordio Fundationis, & repugnante cum perpetuo uſu, cui anni ferè trecenti magnum ſanè robur addiderant, ſupplicis Domni Gaſparis de la Coſte annuens votis, Rectoratum ipſi conceſſit, nomine veri Beneficii in Titulum.

Princeps de Conty qui tunc Poſtulatus in Abbatem erat à Capitulo Cluniacenſi, quamquam hujus dignitatis nondum accepiſſet Confirmationem à Pontifice, ſuam pro Rectoratu Procurationem miſit Domno Petro d'Aymar, Magno Priori & Decano in Abbatia Sancti Andreæ ad Avenionem, ex qua, duo olim itidem Rectores deſumpti fuerant. Eæ Principis Abbatis literæ datæ fuerunt, die 30. Julii anni 1443.

Facile non fuit Domno d'Aymar inire poſſeſſionem hujus Officii Avenione, qua in urbe ſcilicet, propriè Partem Adverſam, ipſúmmet habebat Prolegatum. Atenim cùm Domnus de la Coſte tam noſſet quàm qui maximè, cauſæ elumbis ſuæ imbecillitatem, nullam non tentavit viam placandi Principis de Conty, & ab eo obtinendi Inſtitutionem legitimam.

Poſt varios, ex utraque parte, & ex utroque foro, tumultus litigantium, ventum eſt tandem ad tractationem pacificam. Franciſcus Cardinalis Barbarinus qui tunc erat in Gallia, Comes de Brienne Regi à Secretis & Mandatis, & periti utrinque cauſidici convenerunt Lutetiæ cum Regni Cancellario, in palatio ejuſdem Cancellarii.

Præ omnibus, itum eſt à ſingulis in hanc ſententiam : Rectoratum non eſſe Titulum Beneficii; ejus Collationem ad unum ſpectare Abbatem Cluniacenſem : Domnum de la Coſte debere nuntium remittere juri quod vocant, *prætenſo*, ob Proviſionem ſibi ejus datam à Prolegato : Preces quàm demiſſiſſimas porrigendas ab eo eſſe Sereniſſimo Principi de Conty, quò, cum eo in gratiam rediret, & ab eo obtineret Procurationem Gymnaſii. Cetera pacta conventa hîc non adjungimus, quæ, cùm nihil minùs quàm Canonica ſint, negotii tractatoribus parum honorifica videantur. Vi collationis quam à Principe de Conty Domnus de la Coſte eſt conſecutus, poſt ceſſionem ſeu veriùs *Revocationem*, Domni d'Aymar à

Rectoris Officio (ſic enim habent tabulæ) idem Domnus de la Coſte miſſus eſt in poſſeſſionem Rectoratûs.

Schedam Principi tradidit, quæ noſtris in manibus eſt, quæ exarata eſt tota manu Domni de la Coſte, munitáque ejus chirographo, in qua, clariſſimis hiſce verbis teſtatur : *Se ex nunc abrenunciare omnibus aliis Proviſionibus, quas contra fas*, ſeu, ut ſonat verbum quod Gallicè uſurpat, *indebitè obtinuerat, præter Proviſiones quas habui*, inquit, *à dicto Domino meo, Principe Abbate, die Octavâ Novemb.* 1648.

Literæ, quibus Princeps Abbas Rectoratum committit Domno de la Coſte, diſertè habent : Quamvis pendeat à ſe ſolo tanquam Abbate Cluniacenſi, Procurationem eam Rectoris, Domno de la Coſte dare tantùm pro certo quodam tempore præfinito, prout ſibi magis placeret, ſe tamen ultro, illi tradere Rectoratum AD VITAM, his tamen conditionibus : non iturum Domnum de la Coſte in ejus poſſeſſionem, niſi ſolâ vi præſentis à Principe datæ Proviſionis, non verò ullius cujuſcunque alterius quam habuerat præter æquum & fas, cui propterea abrenuntiabit de facto, dabitque legitimam ſyngrapham ſuæ abrenuntiationis ; irritáſque fore & effectu ſuo caſſas quas nunc Princeps Abbas illi tradit tabulas Procurationis, niſi omnibus & ſingulis legibus memoratis, quas Princeps præſcribit, Domnus de la Coſte ad amuſſim obtemperet. Datæ ſunt eæ literæ, die quartâ Maii ejuſdem anni.

Valitura tantùm erat ea Inſtitutio, quamdiu Princeps Abbas in vivis ageret, vel donec non cederet Abbatiâ, quod probè callens Domnus de la Coſte, ſimul ac Julius Cardinalis Mazarinus renuntiatus eſt Abbas Cluniacenſis, ſuppliciter ab eo Confirmationem in Officio poſtulavit obtinuitque. Attamen, aliquanto pòſt tempore, Domnus Claudius de Beaulieu, qui vice agebat Procuratoris Generalis Ordinis Cluniacenſis, intentavit litem Domno de la Coſte, apud viros quibus Lutetiæ Pariſiorum Cardinalis Mazarinus demandarat provinciam examinandarum rerum Cluniacenſium. Quâ ſe ut lite Domnus de la Coſte exolveret, in hunc modum reſpondit, ut in ipſis legimus Proceſsûs ſchedis : *Viſâ declaratione cui Domnus de la Coſte ſubſcripſit, & quæ in elenchum* (vocant Regeſtum) *relata eſt noſtri Conſilii, quâ fertur inter alia, ipſum non poſſidere Rectoratum Collegii noſtri Avenionenſis, in Titulum Beneficii, ſed per formam Adminiſtrationis* AD VITAM, *quemadmodum comprobavit, exhibitis literis ſuæ Proviſionis, ipſúmque nunquam decreviſſe eum animo ſuo, eum Rectoratum reſignare, neque per formam poſtulati Coadjutoris, nec alio modo quocunque, &c.* Ipſe eſt qui loquitur hîc Domnus de Simiane de la Coſte, poſt novem annos, quàm pacificè Rectoratu potiebatur, & cùm liberrimè vitam Avenione ageret.

Eamdem Confirmationem Officii ejuſdem, ſecutis temporibus, & petiit & impetravit, ab Sereniſſimis Cardinalibus Eſtenſi & Bullionio, non tantùm, ut hi vellent habere ratam, quam à Principe de Conty abſtulerat Inſtitutionem in eo Officio, *ad vitam*, ſed ; ut ipſémet Domnus de la Coſte auditus eſt dicere, *ut tutam ſibi, ea in re, præſtaret conſcientiam.*

Narratis, ex ordine & ex vero, geſtis rebus à fundatione hujus Collegii, ſpes affulget certa, eos, quibus ignota erant pleraque eorum quæ retulimus ſummâ fide ; & ideò ſentiebant de Rectoratu, aliter atque res ipſa eſt, mutaturos eſſe ſententiam vel invitos, & unà palàm profeſſuros, Adverſariorum opinionem, nullo, ne leviſſimo quidem fundamento niti : atque hinc futurum eſſe, ut vir ille cui Prolegatus Avenionenſis eumdem contulit Rectoratum, ac ſi Beneficium foret (quem virum omnes qui norunt, moribus prædicant eſſe optimis & ho-

neſtiſſimis) non ulteriùs velit contendere de gubernatione hujus Collegii, cum Domno de Peſieu, qui ob morum candorem, religionis ſtudium, ſplendorem natalium, & maximos quos in Ordine Cluniacenſi magiſtratus geſſit, in quibus & conſenuit & de Ordine toto longè eſt meritus, qui propterea, inquam, tam ſe dignum finxit ac præſtitit, quem præ ceteris Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, Rectorem inſtitueret Gymnaſii Sancti Martialis Avenionenſis.

Nunc ſupereſt, ut Bullas & Documenta præcipua, quorum ſuperiùs ſæpe mentio facta eſt, ex Autographis, omni fide dignis, hic tranſcribamus.

Digitized by Google

114

BULLÆ

ET

AUTENTICA DOCUMENTA

Quibus, adſtruitur fides hujus Hiſtoriæ Chronologicæ Rectorum Gymnaſii Sancti Martialis Avenionenſis;

ET DEMONSTRATUR

FALSITAS STATUTORUM SUPPOSITITIORUM Quibus Adverſarii probare volunt idem Gymnaſium Sancti Martialis Avenionenſis, Cluniacenſis Ordinis, Fundatum fuiſſe in Titulum Beneficii.

PARS ALTERA.

Digitized by Google

BULLA ERECTIONIS
Collegij S. Martialis Avenionenſis. 1379.

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam. In his quæ pro utilitate Monaſteriorum, & aliorum locorum Eccleſiaſticorum, ac perſonarum in eis degentium, præſertim Religioſorum & vacantium ſtudio litterarum providè ſacta ſunt, ut illibata conſiſtant, libenter adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem quamdam Domum in civitate Avenionenſi conſtitutam & ad Abbatem Monaſterii Cluniacenſis Matiſconenſis Diœceſis pro tempore exiſtentis pertinentem, in Monaſterium, in honorem, & ſub vocabulo S. Martialis authoritate Apoſtolicâ, per noſtras Literas ereximus, ac ſtatuimus & etiam ordinavimus quod domus ipſa, deinceps Monaſterium Cluniacenſis Ordinis exiſteret. In quo duodecim Domino continuè ſervientes, & alii duodecim in Jure Canonico ſtudentes Monachi dicti Ordinis deberent perpetuò reſidere. Et inſuper dilecto filio Jacobo Abbati dicti Monaſterii Cluniacenſis uniendi & incorporandi auctoritate prædicta cum conſilio venerabilis Fratris noſtri Petri Archiepiſcopi Arelatenſis, Camerarii noſtri, eidem Monaſterio ſicut præmittitur erecto, pro neceſſitatibus, & aliis oneribus ſupportandis tot Prioratus ſeu alia Beneficia Eccleſiaſtica dicti Ordinis, quòd eorum fructus, redditus & proventus, valorem mille florenorum auri non excederent annuatim, conceſſimus facultatem. Et deindè ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Jacobi Abbatis petitio continebat. Idem Abbas cum hujuſmodi conſilio prædicti Petri Archiepiſcopi eidem Monaſterio, ſicut præſertur, erecto, de Conautio, de Tincto, de Piolenco, & de Griſaco Prioratus dicti Ordinis Uticenſis, Viennenſis, Auraicenſis Anicienſis, Diœceſis vigore dictarum litterarum canonicè incorporavit, & univit prout in quodam publico inſtrumento indè confecto, cujus tenorem de verbo ad verbum præſentibus, inferi ſecimus, pleniùs continetur. Et quia Prior dicti Prioratus de Conautio, tenetur ſolvere Veſtiarium Monachis Prioratûs S. Saturnini de Portu, prædictæ Uticenſis Diœceſis, & dictus Prioratus de Conautio pertinet ad collationẽ dicti Prioris Prioratûs ſancti Saturnini, ordinavit dictus Abbas de conſilio & conſenſu dicti Petri Archiepiſcopi & Camerarii, quòd de fructibus & obventionibus dicti Prioratûs de Conautio ante omnia leventur, & ad partem ponantur, quantùm poterunt conſtare, Veſtiaria prædicta, & reſiduum duntaxat fructuum & emolumentorum dicti Prioratûs in utilitatem dictorum Monaſterii & Collegii convertatur; & quòd pro intereſſe dicti Prioris ſancti Saturnini pro præmiſſis & infrà ſcriptis in dicto Collegio, dictus Prior, & ejus ſucceſſores teneantur & tenere valeant unum Monachum idoneũ ſtudentem in Jure Canonico, loco unius Scholaris quem tenet & tenere debet, de antiqua conſuetudine, cum penſione in domo Scholarium Cluniacenſium Pariſiis ſtudentium, cui de bonis dicti Monaſterii, ut præmittitur, erecti, providebitur, ſicut uni ex aliis Studentibus dictæ Domus, quando dicta unio fuerit ſortita effectum. Quare pro parte dicti Jacobi Abbatis, nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis incorporationibus & unionibus per dictum Abbatem, ut præſertur, ſactis, robur confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, incorporationes, & uniones prædictas ratas & gratas habentes, illas, ac omnia ſingula in dicto Inſtru-

F

mento contenta auctoritate Apoſtolicâ prædictâ, ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero dicti Inſtrumenti eſt talis.

In nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quòd in præſentia noſtrorum Notariorum & teſtium ſubſcriptorum, exiſtentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis, Petro Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopo Arelatenſi, Domini noſtri Papæ Camerario, & Jacobo Abbate Monaſterii Cluniacenſis, Matiſconenſis Diœceſis. Idem Dominus Abbas dixit quod nuper ad ſupplicationem dicti Domini Abbatis & ejus Conventûs, Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, D. Clemens divinâ providentiâ Papa VII. Domum Principalem Monaſterii Cluniacenſis Civitatis Avenionenſis in Monaſterium Ordinis Cluniacenſis, in honore & ſub nomine ſancti Martialis Epiſc. & Conf. auctoritate Apoſtolica erexit, ac ſtatuit, & ordinavit, quod ex tunc dicta Domus Monaſterium, dicti Ordinis exiſtat, & Monaſterium S. Martialis nuncupetur, & quòd, in eodem Monaſterio ſic de novo erecto duodecim inibi Domino deſervientium & aliorum duodecim in jure Canonico ſtudentium Monachorum numerus perpetuò eſſe debeat & exiſtat, deditque idem Dominus noſter Papa eidem Domino Abbati poteſtatem uniendi & incorporandi, Apoſtolicâ auctoritate prædictâ, cum conſilio dicti Reverendi Patris Domini Petri Archiepiſcopi Arelatenſis, & dicti Domini noſtri Papæ Camerarii eidem Monaſterio ſancti Martialis pro neceſſitatibus dictorum Monachorum & eorum Servitorum ac aliis oneribus dicti Monaſterii ſupportandis, tot Prioratus ſeu alia Beneficia Eccleſiaſtica dicti Ordinis, quod eorum fructus, redditus & proventus valeant ſingulis annis mille florenos auri Cugni & ponderis Florenorum, dum tamen Prioratus conventuales non fuerint: etiamſi diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ exiſtant tunc, vel in futurum fuerint ſpecialiter vel generaliter reſervati. Ita quod cedentibus vel decedentibus Prioribus Prioratuum ſeu Beneficiorum, ſicut præfertur, uniendorum, ac Beneficia obtinentibus liceat ei qui eidem Monaſterio pro tempore præfuerit, poſſeſſionem Prioratuum & Beneficiorum eorumdem apprehendere & perpetuò retinere, Diœceſanorum locorum & cujuſlibet alterius licentiâ minimè requiſitâ, & quòd dictus Dominus Abbas poſſit facere Ordinationes & Statuta cum conſilio dicti Reverendi Patris Domini Archiepiſcopi & Camerarii circa regimen Monaſterii antè dicti, pro ut præmiſſa & multa alia ad effectum præmiſſorum in Literis Apoſtolicis inde confectis, quarum tenor inferiùs eſt inſertus, latius continentur. Et poſt præmiſſorum explicationem dictus Dominus Abbas de voluntate, conſilio & conſenſu dicti Reverendi Patris Domini Petri Archiepiſcopi Arelatenſis & Camerarii præfati Domini noſtri Papæ, authoritate Apoſtolica & ex poteſtate in dictis & infrà ſcriptis litteris Apoſtolicis eidem attributa, univit & incorporavit præfato Monaſterio & Collegio ſancti Martialis Prioratum de Conautio cum omnibus annexis, & ſuis juribus, & pertinentiis, & ſimili modo Prioratus de Tincto, de Piolenco, & de Griſaco dicti Ordinis Uticenſis, Viennenſis, Auraicenſis & Anicienſis Diœceſum, cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem, etiamſi diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ ſint, vel fuerint ſpecialiter vel generaliter reſervati; ita tamen quod cedentibus vel decedentibus Prioribus dictorum Prioratuum vel ipſos obtinentibus, liceat illi qui præfuerit pro tempore dicto Monaſterio poſſeſſionem dictorum Prioratuum apprehendere & retinere, Ordinariorum locorum & alterius licentiâ minimè requiſitâ: Et quia Prior dicti Prioratûs de Conautio tenetur ſolvere Veſtiarium Monachis Prioratûs Sancti Saturnini de Portu, dictæ Uticenſis Diœceſis, & dictus Prioratus de Conautio pertinet ad collationem Prioris dicti Prioratûs ſancti Saturnini: ordinavit dictus Abbas de conſilio & conſenſu dicti Domini Archiepiſcopi & Camerarii quod de fructibus & obventionibus dicti Prioratûs de Conautio ante omnia leventur & ad partem

partem ponantur, quantum poterint conſtare Veſtiaria prædicta, & reſiduum duntaxat fructuum & emolumentorum dicti Prioratûs, in utilitatem dictorum Monaſterii & Collegii convertatur, & quòd pro intereſſe dicti Prioris ſancti Saturnini pro præmiſſis & infrà ſcriptis in dicto Collegio, dictus Prior & ejus ſucceſſores teneant & tenere valeant unum Monachum idoneum ſtudentem in Jure Canonico loco unius Scholaris quem tenet & tenere debet de antiqua conſuetudine cum penſione in domo Scholarium Cluniacenſium Pariſiis ſtudentium, cui de bonis dicti Monaſterii, ut præmittitur erecti, providebitur, ſicut uni ex aliis ſtudentibus dictæ Domus, quando dicta unio fuerit ſortita effectum. Et quia redditus & proventus dictorum Prioratuum unitorum non ſufficerent, ut dicebant dicti Domini Camerarius & Abbas, ad ſupportandum onera dicti Monaſterii & Collegii omnibus oneribus dictorum Prioratuum ſupportatis: ordinaverunt ſupplicari Domino noſtro Papæ quòd dignaretur ad invicem unire & incorporare Sacriſtiam dicti Prioratus ſancti Saturnini, ac Prioratum de Roſeriis dicti Ordinis, Vivarienſis Diœceſis, ad collationem dicti Prioris ſancti Saturnini pertinentem; ita quod Priori dicti Prioratus de Roſeriis, vel Sacriſtâ dicti Prioratûs S. Saturnini prius moriente, ſupervivens dictorum Prioris, & Sacriſtæ poſſit & valeat recipere poſſeſſionem dicti Beneficii quod primò vacaverit, ſub tamen nomine Sacriſtæ & quod ille qui præerit dictis Beneficiis Sacriſta debeat nominari, qui Sacriſta poſtquam dicta unio fuerit ſortita effectum, Veſtiarium Monachis dicti Prioratûs ſancti Saturnini, & alia onera quæ in dicto Prioratu ſancti Saturnini, Prior de Conautio ſupportare conſuevit, teneatur ſolvere & etiam ſupportare. Et in caſu in quo prius ſortiretur effectum unio dictorum Prioratuum de Roſeriis & Sacriſtiæ quàm unio dicti Prioratus de Conautio, Sacriſta dicti Prioratûs S. Saturnini Monaſterio S. Martialis ſic erecto quantum aſcenderent & valerent Veſtiaria & alia onera quæ facit Prior de Conautio in dicto Prioratu ſancti Saturnini, ſingulis annis, eidem Monaſterio ſancti Martialis, donec dicta unio de Conautio ſortita fuerit effectum, ſolvere teneatur. Et ulteriùs dictus Dominus Abbas de voluntate & conſenſu dicti Domini Camerarii, ordinavit quòd adminiſtrationi & regimini dicti Monaſterii & illi Monaſterio præſit Procurator dicti Domini Abbatis quem ad hoc duxerit ordinandum, donec ſuper regimine dicti Monaſterii aliud fuerit ordinatum: de quibus dicti Domini Camerarius & Abbas petierunt ſibi fieri publicum inſtrumentum. Tenor dictarum Literarum Apoſtolicarum de quibus ſuprà fit mentio ſequitur in hæc verba.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pia devotorum deſideria fidelium, illa præſertim quæ divini cultûs & religionis augmentum reſpicere dignoſcuntur, libenter favore Apoſtolico proſequimur, eiſque benevolum impartimur aſſenſum. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Jacobi Abbatis & Conventûs Monaſterii Cluniacenſis, Matiſconenſis Diœceſis, petitio continebat, quòd olim bonæ memoriæ Andruinus, tituli ſancti Marcelli presbyter Cardinalis, olim Abbas dicti Monaſterii, providè attendens quòd in Civitate Avenionenſi non erat aliquod Monaſterium Monachorum nigrorum, & quòd valdè decens exiſteret, quòd Ordo Cluniacenſis haberet in eadem Civitate aliquod Monaſterium Monachorum ipſorum, in quo duodecim continuè inibi deſervientes in divinis, & alii duodecim in Jure Canonico ſtudentes Monachi dicti Ordinis exiſterent, quædam hoſpitia & hortos, magnæ domui Abbatis dicti Monaſterii pro tempore exiſtentis in dicta Civitate conſiſtenti contigua de bonis ſibi à Deo collatis acquiſivit, ut inibi Monaſterium ipſum conſtrueretur, ac etiam fundaretur, ac de aliquibus Prioratibus ſeu aliis Beneficiis dicti Ordinis, eidem Monaſterio uniendis, pro neceſſitatibus Monachorum eorumdem inibi ponendorum ac ſervitorum eis neceſſariorum, & aliis oneribus ſupportandis dotaretur. Quare pro parte Jacobi Abbatis & Conventûs prædictorum nobis extitit humiliter

ſupplicatum, ut dictam domum, in Monaſterium dicti Ordinis in honorem & ſub vocabulo ſancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris erigere ac ſtatuere, & ordinare quòd domus ipſa deinceps Monaſterium præfati Ordinis exiſteret, in quo duodecim continuè Domino ſervientes, & alii duodecim in Jure Canonico ſtudentes Monachi dicti Ordinis deberent perpetuò reſidere, & quòd inibi Eccleſia cum campanili, campanis, cimiterio, domibus & aliis neceſſariis officinis conſtrueretur, ac etiam ædificaretur: & ut præmiſſa decentiùs fieri, ac eidem Monachi commodiùs ſuſtentari valeant, eidem Abbati uniendi atque incorporandi tot Prioratus ſeu alia Beneficia dicti Ordinis eidem Monaſterio, quòd eorum fructus, redditus & proventus mille florenorum auri valeant annuatim licentiam concedere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ipſorum Jacobi Abbatis & Conventûs laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendàntes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictam Domum, in Monaſterium, & ſub vocabulo dicti ſancti Martialis authoritate Apoſtolica erigimus; ac ſtatuimus, ac etiam ordinamus quòd ex nunc dicta domus Monaſterium dicti Ordinis exiſtat, & Monaſterium ſancti Martialis nuncupetur, & à dicto Monaſterio Cluniacenſi dependeat, & per Monachos ejuſdem Monaſterii Cluniacenſis, juxta ordinationem dicti Jacobi Abbatis cum conſilio Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Arelatenſis Camerarii noſtri, ſuper hoc faciendam perpetuò regatur, & etiam gubernetur. Et quod in eodem Monaſterio ſic de novo erecto, duodecim inibi Domino continuè deſervientium & aliorum duodecim in Jure Canonico ſtudentium Monachorum numerus; perpetuò eſſe debeat & exiſtat. Et quod Monaſterium ipſum ſic erectum, ac hujuſmodi, & alii ſi qui forſan in majori numero, pro tempore fuerint Monachi in ipſo Monaſterio commorantes, gaudeant omnibus privilegiis, libertatibus & immunitatibus, quibus alia Monaſteria & etiam Monachi dicti Ordinis gaudent & gaudere conſueverunt. Et quod Jacobus Abbas & Conventus prædicti Eccleſiam hujuſmodi, cum campanili, campanis, cimiterio, domibus & aliis officinis prædictis in ipſo Monaſterio, ſicut præfertur erecto; in loco tamen ad hoc congruo & honeſto, conſtruere & conſtrui facere teneatur. Super quo eis ſpecialem concedimus tenore præſentium poteſtatem; & inſuper eidem Jacobo Abbati & Conventui Eccleſiam & cimeterium hujuſmodi, cùm conſtructa fuerint, per aliquem Catholicum Antiſtitem, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem benedicendi ac etiam conſecrandi. Et nihilominus eidem Abbati ſtatuendi & ordinandi authoritate prædicta, cum conſilio dicti Archiepiſcopi, per quem & Monaſterium ipſum regatur & etiam gubernetur, ac ſtatuta & ordinationes faciendi quæ eidem Abbati cum conſilio ipſius Archiepiſcopi, circa regimen Monaſterii hujuſmodi Monachorum & miniſtrorum ipſius ſalubria videbuntur, & etiam opportuna; ac etiam uniendi & incorporandi authoritate prædicta cum conſilio dicti Archiepiſcopi eidem Monaſterio, ſicut præmittitur, erecto, pro hujuſmodi neceſſitatibus ac aliis oneribus ſupportandis, tot Prioratus ſeu alia Beneficia Eccleſiaſtica dicti Ordinis, quòd eorum fructus, redditus & proventus valorem mille florenorum auri cugni, & ponderis florenorum non excedant annuatim: dummodo Prioratus ſeu Beneficia hujuſmodi conventuales ſeu conventualia non fuerint, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter vel generaliter reſervati ſeu reſervata exiſtant, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Ita tamen quod cedentibus vel decedentibus Prioribus Prioratuum, ſicut præfertur, uniendorum, ac Beneficia prædicta obtinentibus, liceat illi qui eidem Monaſterio ſicut præfertur, erecto, pro tempore præfuerit corporalem poſſeſſionem Prioratuum & Beneficiorum eorumdem apprehendere ac nanciſci & perpetuò retinere, Dioceſanorum locorum, & cujuſlibet alterius licentiâ minimè requiſita, ac fructus, redditus & proventus Prioratuum & Beneficiorum eorumdem perpetuò percipere & habere, ac illos in uſus ſuos & Monaſterii prædicti, ac in ſup-

portatione

portatione onerum,& ſuſtentatione Monachorum eorumdem convertere,& licitè diſponere de illis: non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica,& quacumque firmitate alia roboratis, ſeu ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Prioratibus aut aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales Apoſtolicæ Sedis vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiam ſuper eis ad inhibitionem, reſervationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas & proceſſus habitos per eoſdem ad Prioratus ac Beneficia hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Prioratuum ac Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuſlibet Privilegiis, indulgentiis & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quem præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus eorúmque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis: proviſo quod Prioratus ac Beneficia hujuſmodi debitis obſequiis non fraudentur, ac ſolitus Monachorum & Miniſtrorum numerus in eiſdem nullatenus minuatur, ac deſerviatur inibi laudabiliter in divinis, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ creationis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, voluntatis & conſtitutionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,& beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Speluncam Cajetanenſis Diœceſis, undecimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno primo. Recitatâ fuerunt præmiſſa, prout aſſeritur, notata, per dictum Dominum Abbatem, & facta unio per eumdem Dominum Abbatem de conſilio, voluntate & conſenſu dicti Domini Camerarii, & ordinatum per dictos Dominos Camerarium & Abbatem prout ſuprà ſcriptum eſt. Avenione in Palatio Apoſtolico, in Retro-Camera Theſaurariæ Cameræ Apoſtolicæ, in qua dictus Dominus Camerarius & alii Domini de Camera conſueverunt tenere ſua Conſilia, die tertia-decima menſis Decembris anno à nativitate Domini milleſimo tricenteſimo ſeptuageſimo nono, præſentibus & pro teſtibus requiſitis Reverendo in Chriſto Patre Domino Petro Dei Gratia Epiſcopo Magalonenſi, Theſaurario dicti Domini Papæ; Domino Petro Girardi Clerico Cameræ Apoſtolicæ, & Æmone Henrici Procuratore fiſcali, Magiſtro Joanne de Regis Cive Avenionenſi, & Domino Joanne Roſſeti Notario dictæ Cameræ Apoſtolicæ ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis, & ego Joannes Picardi Clericus Antiſiodorenſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali authoritate Notarius, qui præmiſſis recitationi, unioni & ordinationi & aliis ſupradictis dictis & factis per dictos Dominos Abbatem & Camerarium, dum, ut præmittitur recitarentur, dicerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, & cum prædicto Joanne Roſſeti Notario Apoſtolico cum eodem Notario notam recepi, de qua præſens publicum Inſtrumentum extraxi, & per alium aliis præpeditus negotiis ſcribi feci, méque hîc ſubſcripſi, ac meis nomine & ſigno conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum: Et ego Joannes Roſſeti de Marcigniaco Clericus Eduenſis Diœceſis, authoritate Apoſtolica & Imperiali publicus Notarius, præmiſſis unioni,& ordinationi,& aliis ſupradictis ſic actis per dictos Dominos Camerarium & Abbatem unà cum Magiſtro Joanne Picardi Clerico Antiſiodorenſis Diœceſis authoritate Apoſtolica & Imperiali publico Notario & teſtibus ſupradictis præſens fui, præſénſque publicum Inſtrumentum expedivi,& per alium

aliis occupatus negotiis ſcribi feci, & hic me ſubſcripſi & ſignum meum conſuetum appoſui, in teſtimonium præmiſſorum vocatus & rogatus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione decimo Kalendas Octobris, Pontificatûs noſtri anno II.

STATUTA ET ORDINATIONES
bonæ memoriæ Domini Jacobi Abbatis. 1383.

I.

PRIMÒ, quia unio Prioratûs de Tincto ſuum ſortita eſt effectum, volumus, quòd de cætero celebrentur tres Miſſæ; una ſubmiſſâ voce, de mane ante horam doctoralem, quæ celebrabitur per ſtudentes, & aliæ duæ cum nota, ſcilicet matutina poſt Primam, & magna Miſſa, ſecundum quod fieri eſt conſuetum in Prioratibus Conventualibus, quæ tantummodò celebrabitur per Clauſtrales.

II.

Item cantabuntur omnes horæ cum notâ, & horis conſuetis & determinatis, ſecundum quod fieri eſt conſuetum in Prioratibus Conventualibus, in quibus omnibus horis intererunt continuè Religioſi non ſtudentes, pro divino officio faciendo; & alii Religioſi ſtudentes intererunt in diebus feſtivis, ſaltem in Miſſis, Veſperis & Matutinis; & in magnis præcipuè feſtivitatibus in omnibus horis.

III.

Item Religioſi qui ibidem morabuntur incedént in habitu honeſto & decenti, & ſervabunt cæremonias Ordinis & gubernabuntur, & regentur ſecundum quod eſt fieri conſuetum in aliis Prioratibus Conventualibus Ordinis.

IV.

Item non erunt auſi exire clauſtrum Collegii ſine licentia petita, & obtenta à Suppriore eorumdem, vel alio Superiore, & non dabitur eis licentia diſcurrendi villam, ſine juſta & legitima cauſa.

V.

Item Religioſi ſtudentes, quilibet habebit Cameram ſuam; alii non ſtudentes jacebunt inſimul, & non bini, ſed quilibet ſolus, ut eſt fieri conſuetum.

VI.

Item comedent omnes Religioſi inſim[illegible] horis conſuetis & [illegible]minatis; taliter, quòd ſtudentes non perdant lectiones ſuas.

VII.

Item ſtudentes audient omnibus horis; videlicet; horâ doctorali Tertiæ, Nonæ & Veſperarum: exceptis illis qui legent: & nunquam erunt auſi exire ſine licentia, alibi præter quàm ad ſcholas rectâ viâ, horis tantùm conſuetis, niſi dumtaxat de mandato Primicerii Univerſitatis, quando eos mandabit pro Proceſſionibus fiendis, vel altera Congregatione ſtudentium, cui Primicerio ſub pœna præſtiti juramenti obedire tenentur.

VIII.

Item ponentur in dicto Collegio, in Conventu ſex Religioſi ſtudentes, & octo Religioſi

Digitized by Google

Religioſi pro divino officio faciendo, qui aliquo modo non vacabunt circa ſtudium, ſed ſolum circa officium divinum faciendum.

IX.

Item habebunt dicti Religioſi duos, vel tres Sæculares pro eorum ſervitio, & ſic erunt in numero, computatis Religioſis & ſæcularibus, decem & ſeptem pro nunc, donec aliæ Uniones ſortiantur ſuum effectum. Et tunc augmentabitur numerus Religioſorum, & unus dictorum famulorum erit continuus pro libris portandis, & negotiis honeſtis & licitis Religioſorum faciendis, ut occaſionem diſcurrendi pro minimo negotio per villam non habeant, & alius famulus erit pro coquina honeſtè facienda.

X.

Item claudentur Portæ Collegii bona hora per aliquem deputandum, & cuſtodientur claves per Superiorem eorum.

XI.

Item omnes erunt principaliter ſub obedientiâ, & regimine Prioris de Guilleſtra, qui diſponet de omnibus juxta ejus voluntatem, & ſecundario ſub obedientia Supprioris in futuro.

INSTRUMENTUM VERUM oblatum Clementi VII. Papæ. Publicatum in Palatio Apoſtolico, Avenione, 13. Decembris 1379.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quòd præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Petro Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopo Arelatenſi, Domini noſtri Papæ Camerario, & Jacobo Abbate Monaſterii Cluniacenſis, Matiſconenſis Diœceſis. Idem Dominus Abbas dixit, quòd nuper ad ſupplicationem dicti Domini Abbatis & ejus Conventûs. Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Clemens divinâ providentiâ Papa VII. Domum Principalem Monaſterii Cluniacenſis Civitatis Avenionenſis in Monaſterium Ordinis Cluniacenſis in honorem, & ſub nomine ſancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris, authoritate Apoſtolicâ erexit, ac ſtatuit & ordinavit, quòd ex tunc dicta Domus Monaſterium dicti Ordinis exiſtat, & Monaſterium ſancti Martialis nuncupetur, & quòd in eodem Monaſterio Sancti Martialis ſic de novo erecto duodecim inibi Domino deſervientium, & alio-

STATUTA SUPPOSITITIA ibidem, uti fingitur, publicata 26. Decembris 1379.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini Amen. Per hoc publicum præſens Inſtrumentum cunctis tàm præſentibus quàm futuris pateat & ſit notum, quòd anno à Nativitate Domini ejuſdem milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono, indictione ſecundâ, & die vigeſimâ ſextâ menſis Decembris, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Clementis divinâ providentiâ Papæ ſeptimi, anno ſecundo, in mei Notarii publici & teſtium infrà ſcriptorum ad hoc vocatorum & ſpecialiter rogatorum, exiſtentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Petro Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopo Arelatenſi, Domini noſtri Papæ Camerario, & Jacobo Abbate Monaſterii Cluniacenſis, Matiſconenſis Diœceſis; idem Dominus Abbas dixit, quòd nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Clemens divinâ providentiâ Papa ſeptimus, Domum Principalem Monaſterii Cluniacenſis, Civitatis Avenionenſis in Monaſterium Ordinis Cluniacenſis in honore & nomine Divi Martialis Epiſcopi & Confeſſoris authoritate Apoſtolicâ erexit, ac ſtatuit

VISITATIO COLLEGII S. MARTIALIS Avenionenſis facta per R.D. Joannem Dublé Priorem S. Marcelli Cabilonenſis, Vicarium Generalem Illuſtriſſimi Cardinalis Caroli à Lotharingia. 1550.

NOs Domnus Joannes Dublé, aliàs de Cormatain, Prior Prioratuum ſancti Eugendi Monaſterii in Breſſia, & ſancti Dionyſii de Rulliaco, Cluniacienſis, & ſancti Benedicti, Biſuntinenſis, & Bituricenſis Diœceſis, Vicariúſque Generalis in ſpiritualibus & temporalibus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. Domini Caroli divinâ miſeratione tituli ſanctæ Cæciliæ Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri Cardinalis de Lotharingia vulgò nuncupati, Archiepiſcopi Ducis Rhemenſis, primi Franciæ Paris, necnon ſacri Monaſterii & Ordinis Cluniacenſis Abbatis Commendatarii, ſeu Adminiſtratoris perpetui. Notum facimus univerſis, quòd cùm anno Domini milleſimo quingenteſimo, quinquageſimo, Illuſtriſſ. Principe ac Reverend. in Chriſto Patre D. Domino Joanne ſancti Honofrii, Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinale de Lotharingia vulgò nuncupato, Archiepiſcopo & Primate Narbonenſis Eccleſiæ, ſacri Monaſterii Ordinis Cluniacenſis Abbate Commendatario, ſeu Adminiſtratore perpetuo, defuncto, Præſatus Illuſtriſſimus Dominus Carolus deſuncti ex ſratre germano nepos, regimen & adminiſtrationem præfatorum Monaſterii & Ordinis Cluniacenſis ſeliciſſimis auſpiciis ex eo ſuſcepiſſet; quòd cedente præfato Joanne patruo, idem Illuſtriſſimus Carolus concordi voto, poſtulantibus & conſenſum unanimem præſtantibus Reverendis Patribus dicti Ordinis, tam ſenioribus, quàm cæteris præfati Monaſterii Fratribus, authoritate Apoſtolica eidem Monaſterio Cluniacenſi fuiſſet præſectus. Eodémque tam Regni quàm dicti Ordinis, ampliſſimis negotiis occupato, nobis ſuas vices committente, primis in mandatis dediſſet, ut rebus compoſitis apud Cluniacum, Collegium ſancti Martialis Avenionenſis, *menbrum prædicti Monaſterii* viſitaremus, ut quàm citiſſimè fieri poſſet ſructum ex eodem diù deſideratum cæteris Monaſteriis communicaremus.

Nos die viceſimâ ſecundâ menſis Novembris anni prædicti, quo injunctæ nobis provinciæ munus obiremus, pervenimus Avenionem, ubi recepti fuimus à Rectore & Fratribus prædicti Collegii, & ab ipſis laudes Deo canentibus in Chorum & ante præcipuum altare Eccleſiæ dicti Collegii deducti fuimus, officióque Viſitationis peracto, more majorum, quindecim dies impendimus tam in exigenda præteritorum ratione, quàm futuræ adminiſtrationis regimine in melius componendo & ſtabiliendo: in quo accuratiùs fuit invigilandum, quia ager ille Dominicus longo locorum intervallo à Patribus Cluniacenſibus ſejunctus, & ob id rariùs cultus, vepres & tribulos potiùs quàm uvas germinaverit. Nec mirum, cùm ſine certa lege, ſine præſcriptis conſtitutionibus, ſine aliqua ſtudiorum forma, unuſquiſque pro libero arbitrio viveret, & ſibi ſtudiorum horas præfigeret. Super quibus ut verba ſaceremus, præſatos Rectorem & Fratres coram nobis capitulariter congregari ſecimus, & de vita, moribus, & converſatione regulari arguimus, increpavimus, & obſecravimus, in quibus quàm graviter peccaſſent, ſatis conſtabat, eulogiis à nobis diligenter conſectis. Ac tandem quo præſato Collegio ſplendorem priſtinum reſtitueremus, ac totus Ordo Cluniacenſis ex novellis illis plantationibus aliquando fructum quo diutiſſimè caruerat recolligeret. Nobis legitimè comperto & conſtito, *quòd Rectorem*

& Monachos ‡ tam clauſtrales quàm ſtudio deſtinatos in eodem Collegio morantes ſeu moraturos *ponendi & deponendi libera poteſtas*, ad præfatum Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Abbatem Cluniacenſem dicti Collegii, & bonorum ejuſdem Adminiſtratorem ſpectat & pertinet: conſiderantes, dictum Collegium eâ intentione & causâ à Majoribus fundatum & erectum, ut viri Religioſi & probi ibidem erudirentur, qui ſuorum laborum fructu cæteros Fratres paſcerent, & tandem velut lucernæ ardentes in prædictis Ordinis Monaſteriis & Conventibus eluceſcerent; Fratrum ibidem repertorum eruditione & induſtriâ cognitis, & ad perpendiculum conſideratis: Nos tandem ſuper eodem ſtatu, de quorumdam virorum proborum dicti Ordinis ſeniorum conſilio, ſub beneplacito Reverendiſſimi Abbatis noſtri, & quamdiù ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationi placuerit, ità decrevimus & capitulariter decernimus.

In primis eidem Collegio præfecimus in Rectorem, Venerabilem& Chariſſimum fratrem noſtrum Domnum Petrum Iſnard Decretorum Doctorem, abſoluto priùs ab ejus Officii onere Venerabili & Chariſſimo etiam Fratre noſtro Domno Michaële de Monte-Magnono, Decretorum Doctore jam ſene & debilitato; In Vice-Rectorem Domnum Judam Simonem, & in Sub-priorem Domnum Petrum Rigaudi. Spe verò melioris frugis reliquimus ibidem Domnos Joannem Paſſot, Joannem de Luſy, Guillelmum de Montibus & Alanum Richard, jampridem ſtudio Juris Canonici deſtinatos. Et pro divino obſequio ibidem celebrando, ſpecialiùs clauſtri muneribus mancipatos, reliquimus Domnos Raymundum de Monte-Magnono, & Steph. Panciot: præfatum verò Domnum *Michaëlem de Monte Magnono nuper Rectorem* ſub certis conditionibus modo, & formâ, inſtrumento deſuper confecto contentis, *temporali adminiſtrationi Priorat. de Tincto, & Podioleni dicti* Collegii membrorum, & Chariſſimum Fratrem noſtrum Domnum Joannem Laurens Decretorum Doctorem, ſpirituali regimini Monachorum Decanatûs Valenſoliæ deſervientium præfecimus, Domnum Oliverium Felix Sacriſtam Podioleni, juxta Reverendorum Patrum ultimi Generalis Capituli Cluniacenſis Definitorum ordinationem, facturum ea quæ eidem officio incumbunt, & eidem in ſpiritualibus & temporalibus perſonaliter deſerviturum remiſimus Podiolenum. Eadem facturum Domnum Bertrandum Bernard Sacriſtam Monaſterii de Veſſaulx remiſimus ad ipſum Monâſterium de Veſſaulx: ac Domnos Franciſcum de Savignes, & Antonium Finet, ſtudiorum ſuorum fructum exhibituros Fratribus Cluniaci Deo ſervientibus, Domnum verò Balthazarem Gontard Fratribus Aræ-grandis, Petrum Jacqueti Prioratui de Theſa, Melchiorem Laurens Prioratui S. Martini de Alpibus, etiam remiſimus & deſtinavimus: eoſdem, & eorum quemlibet obnixè rogantes, ut totis viribus enitantur eam omninò ſpem adimplere quam de eis concepimus, in exequendis muneribus ad quæ jam per nos ſunt aſſumpti, & impoſterùm à ſuis Superioribus aſſumentur. Ne autem præfati Fratres noſtri ut ſuprà, ad loca per nos præmiſſa deſtinati, Avenione aut alibi diutiùs vagandi occaſionem aſſumant, Domno Rectori dicti Collegii authoritate præfati Reverendiſſimi Domini Cardinalis Abbatis Cluniacenſis, cujus vices gerimus in hac parte, præcipimus & mandamus, quatenus collectis ſarcinulis Fratres prædictos infra duodecim dies indè immediatè ſequentes, ad loca præmiſſa ſe transferre, omni meliori viâ, modo, jure, & formâ, quibus meliùs poterit & debebit, per Cenſuras Eccleſiaſticas, & ſubſtractionem alimoniæ in dicto Collegio ſtudentibus aſſignatæ, cogat & impellat; invocato, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio. Sperantes nos breviſſimè effecturos, ut alii in ſuprà dictorum locum ſufficiantur, qui Deo in dicto Collegio famulentur & deſerviant, ac præfato Juris Canonici ſtudio jugiter navent operam. Quibus peractis, & quò in futurum præfati Rector & Fratres certis legum finibus regerentur, & illis quaſi

quaſi pedagogo duce, divino inſud. ntes cultui, virtutem & religionem cum eruditione conjungerent, de quorumdam ſeniorum prædicti Ordinis nobis aſſiſtentium Fratrum conſilio, ſub præfati Reverendiſſimi Abbatis, & Reverendorum Patrum Dominorum Definitorum Capituli Generalis Cluniacenſis beneplacito, Ordinationes & Statuta ſequentia, cenſuimus illis præſcribenda.*

DE RECTORE PRÆFICIENDO, ejus qualitate & juriſdictione.

I.

CUm ex Platone, quales ſunt in Republica Principes, tales ſoleant eſſe cives; & parum ſit in civitate jura eſſe, ex Juriſconſulti ſententia, niſi ſint qui illa mandent executioni, obſervarique jubeant. Accuratiùs profectò invigilandum erit, ut tales duces gregi Dominico præficiantur, qui verbo paſcant, & exemplo inſtruant. Ordinandi igitur Rectorem penes Reverendiſſimum Dominum noſtrum Abbatem Cluniacenſem, in cujus manu & voluntate ſunt omnia, poteſtas omnimoda maneat. Is autem quem ordinare propoſuerit, maturæ ſit ætatis, & triginta annos natus: in illa enim ætate ſolidam ſatis eſſe mentem, etiam ad Epiſcopatûs regimen ſuſcipiendum, majores noſtri cenſuerunt. Non ſit alienigena, aut alterius Ordinis, ſed qui à cunabulis in Ordine Cluniacenſi educatus, illum ſit expreſsè profeſſus, qui regularia Cluniacenſis Monaſterii & Ordinis ſtatuta, cæremoniáſque monaſticas probè coluerit, experimentóque didicerit, quíque non ex diplomate Apoſtolico in Jure Pontificio Doctoratûs, aut Licentiatûs diademate præfulgeat: ſed in celebri Gymnaſio poſt labores ſcientiis impenſos, & Paleſtræ Scholaſticæ ſudores ſuſtentatos palmam Doctoratûs aut Licentiatûs ſit promeritus. Quem omnes & Clauſtrales & Scholaſtici tanquam Patrem obſervent, ut Superiorem revereantur. Qui in choro, capitulo, menſa, & ubique locorum præſideat, diebus ſolemnibus Sacra faciat. Qui ligandi, ſolvendi, excommunicandi, ſuſpendendi, & quolibet alio modo animadvertendi in ſuos ſubditos omne

CUm ex Platone, quales ſunt in Republica Principes, tales ſoleant eſſe cives, & parum ſit in civitate jura eſſe, niſi ſint qui illa mandent executioni, obſervarique jubeant, accuratiùs profectò invigilandum erit, ut tales duces gregi Dominico præficiantur, qui verbo paſcant, & exemplo inſtruant. Ordinandi igitur Rectorem penes Reverendiſſimum Dominum Abbatem [a] *Cluniacenſem pro tempore exiſtentem, ratione ſuæ Abbatialis dignitatis poteſtas omnimoda maneat. Ille autem quem ordinare propoſuerit, maturæ ſit ætatis, & triginta annos natus: in illa enim ætate ſolidam ſatis eſſe mentem, etiam ad Epiſcopatûs regimen ſuſcipiendum, majores noſtri cenſuerunt. Non ſit alienigena, aut alterius Ordinis, qui regularia Cluniacenſis Monaſterii & Ordinis ſtatuta, cæremoniáſque Monaſticas probè coluerit, experimentóque didicerit,* [b] *quique in celebri Gymnaſio poſt labores litteris, impenſos & Paleſtræ Scholaſticæ ſudores ſuſtentatos palmam Doctoratûs aut Licentiatûs ſit promeritus. Quem omnes & Clauſtrales, & etiam Scholaſtici tanquam Patrem obſervent, & Superiorem revereantur, qui in Choro, Capitulo, Menſâ, & ubique locorum præſideat, diebus ſolemnibus Sacra faciat; qui ligandi, ſolvendi, & excommunicandi, ſuſpendendi, & quolibet alio modo animadvertendi in ſuos ſubditos omne imperium, plenam & integram poteſtatem habeat.* Talémque & ſimilem juriſdictionem exercere poſſit, qualem poſſunt & ſolent cæteri Decani, Præpoſiti, & Priores Conventuales dicti Ordinis Cluniacenſis. Et qui ſicut illi pro majore utilitate Monaſterii Perpetuum Beneficii Titulum in ſuo

imperium, plenam & integram poteſtatem habeat. *Talémque & ſimilem juriſdictionem exercere poſſit, qualem poſſunt & ſolent cæteri Decani, Præpoſiti & Priores Conventuales dicti Ordinis Cluniacenſis. Qui tamen hîc immobiles figere ſedes, aut Perpetuum Beneficii Titulum ſe obtinere non arbitretur. Verùm, ad nutum dicti Reverendiſſimi Domini Abbatis, revocandum intelligat.*

De Stipendio annuo Rectoris.

Ut labores quos præfatus Rector in erudiendis Fratribus ſuſcipiet, mercede aliqua compenſentur, ultra duplicem Præbendam, duplex Veſtiarium, & famuli alimenta, ſingulis annis ex fructibus dicti Collegii ſummam ſexaginta [c] librarum Turonenſium ſuſcipiet. Et ſingulis annis ad Capitulum Generale Cluniacenſe accedet, rationem redditurus ſuper vita, moribus, & doctrina Scholaſticorum, niſi impedimentum notabile ſupervenerit.

De ordinando Vice-Rectore, & ejus ſalario.

Præfato Rectori unus jungetur ex Fratribus qui Vicarias ſuper grege Dominico excubias faciat, qui tamen Sacerdotali clareſcat honore, qui dictum Ordinem Cluniacenſem ſit expreſsè profeſſus, qui ſit ætatis viginti quinque annorum, qui noverit rebus ſuis conſulere, quíque ritè & ſolemnitatibus obſervatis, ad gradum Baccalaureatûs ſit promotus, qui tantùm in Rectoris abſentia illius vices ſupplebit, ſolvet, ligabit, excommunicabit, corriget, arguet, cæteráque exequetur quæ dictus Rector perageret, ſi præſens eſſet. Cui præter Veſtiarium [d] decem florenorum (ut ſuis neceſſitatibus ſubvenire poſſit) ex proventibus dicti Collegii duodecim libræ Turonenſes largientur. Nihil ſibi tamen arroget, ſed dicto Rectori tanquam ſuperiori obediendum, hicquè civitatem non habere permanentem exiſtimet.

Rectoriatûs officio obtineat; regendo ſcilicet & adminiſtrando bona ſecundum mandatum Sanctiſſimi in Bulla Erectionis Monaſterii contentum.

II.

Præfato Rectori unus jungetur ex Fratribus qui Vicarias ſuper Grege Dominico excubias faciat, qui tamen Sacerdotali clareſcat honore, qui dictum Ordinem Cluniacenſem ſit expreſſè profeſſus, qui ſit ætatis viginti quinque annorum, qui noverit rebus ſuis conſulere, quíque ritè, & ſolemnitatibus obſervatis, ad gradum Baccalaureatûs ſit promotus, qui tantùm in Rectoris abſentia illius vices ſupplebit, ſolvet, ligabit, excommunicabit, corriget, arguet, cæteráque exequetur quæ dictus Rector perageret ſi præſens fuiſſet; Nihil ſibi tamen arroget, ſed dicto Rectori, tanquam ſuperiori, obediendum exiſtimet.

Digitized by Google

De Oneribus Sacriſtæ.

Incumbit autem Sacriſtæ miniſterio panes azimos ad Sacrificium Deo in Miſſa offerendum, & SS.Euchariſtiam Novitiis, diebus à nobis determinatis communicandum, ſubminiſtrare. Præparet oleum, cereos, thedas,candelas,duaſque lampades, quarum una ante venerandũ Chriſti Corpus perpetuò noctu diúque, altera ſacello B. Joannis Baptiſtæ noctu tantùm ardeant: quatuor cereos in quinque præcipuis Feſtivitatibus,aliiſque ad earum inſtar, & majoribus Duplicibus. In Apoſtolorum autem ſolemnitatibus, Simplicibus Duplicibus, & his quæ fiunt in Cappis, in Albis, & diebus feriatis duo cerei in majori altari Matutinarum, Miſſæ, & Veſperarum horis luceant. Omni autem die in Miſſa duæ accendantur thedæ cùm elevandum erit Chriſti Corpus: Matutinarum verò tempore quibus omnes intereſſe tenebuntur, candelas quatuor ad pſallendum, & unam ad prælegendas lectiones in medio chori ſubminiſtrabit. Luminare ſex cereorum ſi contingat ab humanis decedere unũ ex Fratribus, Sacriſta ſuppeditabit. Campanas ligaturis, ferramentis, aliiſque rebus inſtruet; illas pulſabit horis per nos præfigendis, quo diligentiùs Fratres ad Divina celebranda convocentur. De Paſchali cereo & thure ad incenſum Deo offerendum providebit. Albas, Mappas, Amictus, Cingulos, Corporalia, Vaſculos vinarios, pro neceſſitate Eccleſiæ comparabit. Araneis & pulvere Eccleſiam, ejuſdem ſupellectilem, & vitras mundari purgaríque curabit,Caſulas,Dalmaticas, Cappas, Calices, Cruces, cæteráque ornamenta & jocalia, ſi fracta laceratáque fuerint, reparari reſtauraríque facere tenebitur ſuis propriis expenſis. Et quo in futurum omnis tollatur difficultas, Vinum ex fructibus dicti Collegii ad celebrationem Miſſarum ſubminiſtrabitur, Reverendiſſimúſque Dominus indumenta nova, ſi neceſſitas expoſtulaverit, emet. Eccleſiam tectam, vitráſque integras tenebit, ut

III.

Incumbet autem Sacriſtæ miniſterio panes azymos ad ſacrificium Deo in Miſſâ offerendum, Sacro-ſanctámque Euchariſtiam Novitiis diebus à nobis determinatis communicandum, ſubminiſtrare. Præparet, oleum,cereos, thedas,candelas, duáſque lampades, quarum una ante venerandũ Chriſti corpus, perpetuò, noctu diúque, altera ſacello Beati Joannis Baptiſtæ noctu tantùm ardeant: quatuor cereos in quinque præcipuis Feſtivitatibus, aliiſque ad earum inſtar, & majoribus duplicibus. In Apoſtolorum autem ſolemnitatibus, Simplicibus Duplicibus, & iis quæ fiunt in Cappis, in Albis, & diebus feriatis, duo cerei in majori altari, matutinarum, Miſſæ, & Veſperarum horis luceant. Duæ, accendantur thedæ cùm elevandum erit corpus Chriſti. Matutinarum verò tempore quibus omnes intereſſe tenebuntur, candelas quatuor ad pſallendum, & unam ad prælegendas lectiones in medio Chori miniſtrabit. Luminare ſex cereorum (ſi contingat ab humanis decedere unum ex Fratribus,) Sacriſta ſuppeditabit. Campanas ligaturis ferramentis, aliiſque rebus inſtruet, illas pulſabit horis per nos præfigendis, quo diligentiùs Fratres ad Divina celebranda convocentur. De Paſchali cereo & thure ad incenſum Deo offerendum providebit. Rector Amictus Cingulos Corporalia, Vaſculos vinarios pro neceſſitate Eccleſiæ comparabit, Caſulas, Dalmaticas,Cappas, Calices, Cruce, cæteráque ornamenta & jocalia, ſi fracta laceratáque fuerint, reparari reſtauraríque facere tenebitur ſuis expenſis, & indumenta nova, ſi neceſſitas expoſtulaverit, emet.

hactenus amicabili compromiſſo deciſum fuiſſe comperimus.

De divino Cultu dietim impendendo.

Omni autem die ſub ſeptem Horarum Canonicarum decurſu Fratres attentè & perfectè eloquia Dei pronuntiare & audire ſtudeant, ut guſtent quàm ſuavis eſt Dominus, ſentiántque quoniam verbum Dei diſtinctè prolatum dulcedinem incomprehenſibilem habet. Matutinæ igitur preces, & Horæ Canonicæ ſecundum uſum Cluniacenſem, diebus feriatis ſubmiſſâ voce, intelligibili tamen & diſtinctâ, dicentur, quibus etiam Studentes Religioſos præter antiquum morem, intereſſe volumus ſine diſcrimine, ut diluculo excitati incipiant Domino ſervire in timore, & ſaltem penſum Matutinarum Horarum ad quas obligantur cum Fratribus exſolvant. Quibus finitis ſtatim Clauſtrales Primam dictis diebus feriatis alta voce decantabunt; interim Religioſi Studentes ſegregati à Choro bini reliquum horarum perſovent. Quò ſine intermiſſione aliqua, finitâ Primâ cum precibus, Sacrificium ſeu Miſſa *de Beata Maria*, altâ voce, à bonæ memoriæ Domino Joanne de Borbonio Abbate Cluniacenſi dotata, devotè ab omnibus Fratribus celebretur. His peractis, dicti Religioſi Studentes totam diem in varias partiantur lectiones, Clauſtrales autem horas Canonicas, preces Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperarum, Completorii cum diei currentis Miſſa alta voce modulabuntur. Feſtivis autem diebus totum Officium divinum, etiam Matutinæ preces altâ voce decantabuntur, quibus ut interſint, & majori Miſſæ, & Veſperis Religioſi Studentes ordinamus.

IV.

Matutinæ preces & Horæ Canonicæ ſecundum uſum Cluniacenſem diebus feriatis ſubmiſſâ voce, intelligibili tamen & diſtinctâ, dicentur, quibus etiam Studentes Religioſos [f] *intereſſe volumus ſine diſcrimine, ut diluculo excitati, incipiant Domino ſervire in timore; quibus finitis ſtatim Clauſtrales Primam, diebus feriatis altâ voce decantabunt; interim Religioſi Studentes ſegregati à Choro, bini reliquum horarum perſolvent, quò ſine intermiſſione aliqua, finitis Primarum precibus, Sacrificium, ſeu Miſſa* de Beatâ Virgine, [g] *devotè ab omnibus Fratribus celebretur. Iis peractis dicti Religioſi Studentes totam diem in varias partiantur lectiones; Clauſtrales autem horas Canonicas, preces Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperarum, Completorii, cum diei currentis Miſſa altâ voce modulabunt. Feſtivis autem diebus totum Officium Divinum, etiam Matutinæ preces, altâ voce decantabuntur, quibus ut interſint, & majori Miſſæ, & Veſperis Religioſi Studentes ordinamus.*

De Horis divini cultus.

Cum aurora ſit Muſis amica, & ſpatium ſeptem horarum primarum, ſit diei potiſſima pars: ſurgant Fratres ſtrenuè, quos Gallus torpentes arguit. Cura ſit Sacriſtæ ut à Paſcha uſque ad Kalendas Octobris horâ tertiâ, & à Kalendis

V.

Surgant Fratres ſtrenuè, quos Gallus torpentes arguit. Cura ſit Sacriſtæ ut à Paſcha uſque ad Kalendas Octobris horâ tertiâ, & à Kalendis Octobris ad Paſchâ horâ quartâ manè fratres excitet ad matutinum Officium celebrandum. Miſſa Conventualis

à

Digitized by Google

Octobris ad Paſcha, horâ quartâ manè Fratres excitet ad Matutinum Officium celebrandum. Miſſa Conventualis à dicto Paſchate ad Kalendas Octobris horâ octavâ, & à Kalendis Octobris uſque ad Paſcha horâ nonâ, ut obſervari ſolet in aliis noſtri Ordinis Monaſteriis, dicetur, niſi diebus jejunii, & tempore Quadrageſimali, quam tunc in horam decimam differri ſtatuimus; ſicut à dicto Paſchate uſque ad Exaltationem ſanctæ Crucis horâ meridianâ decantari, ſecundum Divi Benedicti regulam, Nonam præcipimus. Veſperorum quoque Canonicæ horæ & preces, & Completorii à Paſchate ad Kalendas Octobris horâ tertiâ & ſextâ; à Kalendis verò Octobris ad Paſchâ quartâ & ſeptimâ decantabuntur.

De Sacrificio particulariter per Presbyteros celebrando, & Euchariſtia à Novitiis ſumenda.

Quò natura ad malum ſumus proniores, eò frequentiùs ad remedium confugiendum, & medela adverſum diaboli aſtutiam ſumenda. Omnibus ergo ſolemnibus diebus, & quolibet die Dominico, Preſbyteri ſua confiteantur peccata, & ad Sancta Sanctorum accedant, & Miſſam devotè celebrent, prohibentes ne ſine confeſſione ſacramentali celebrare præſumant, ut poſt Sacrificium ſpiritûs contribulati, oblationes & holocauſta dignè ſuper altare Deo offerant. Novitii pariter, menſis cujuſlibet primâ Dominicâ, ſecundùm conſtitutiones Benedictinas, & præcipuis anni Solemnitatibus Preſbyteris ſenioribus confiteantur, & ab eis peccatorum abſolutionem accipiant; & deindè ſic purgati ad ſanctam Corporis Dominici communionem accedant; ſolemnitates autem anni præcipuæ cenſentur, Nativitas Domini, ejus Circumciſio, Epiphania, Paſcha, Pentecoſte, Corporis Chriſti ſolemnitas, feſta Divorum Benedicti Legiſlatoris noſtri, Martialis Patroni, Petri & Pauli, Conceptio, Nativitas, Annunciatio, Purificatio, & Aſſumptio Virginis Mariæ, om-

à dicto Paſchate ad Kalendas Octobris horâ octavâ, & à Kalendis Octobris uſque ad Paſcha horâ nonâ, ut obſervari ſolet in aliis noſtris Monaſteriis, dicetur, niſi diebus jejunii & tempore quadrageſimali, quam tunc in horam decimam differri ſtatuimus: horâ meridianâ decantari, ſecundum Divi Benedicti regulam, Nonam præcipimus. Veſperorum quoque Canonicæ horæ, & preces, & Completorii à Paſchate ad Kalendas Octobris horâ tertiâ, & ſextâ; à Kalendis verò Octobris ad Paſcha horâ quartâ & ſeptimâ decantabuntur.

V I.

Omnibus ſolemnibus diebus, & quolibet die Dominico Presbyteri ſua confiteantur peccata, & ad Sancta Sanctorum accedant, & Miſſam devotè celebrent, prohibentes ne ſine Confeſſione Sacramentali celebrare præſumant. Novitii, cujuſlibet menſis primâ Dominicâ ſecundùm conſtitutiones Benedictinas, & præcipuis anni ſolemnitatibus Presbyteris ſenioribus confiteantur, & ab eis peccatorum abſolutionem accipiant; & deinde ſic purgati ad Sanctam Corporis Dominici benedictionem accedant.

VII.

nium Sanctorum, Aſcenſio Domini, trium dierum ante Paſcha, & individuæ Trinitatis.

De Cura pro Mortuis agenda.

Et ne ingratitudinis vitium incurramus, & in charitate non ficta obſequioſos erga Fratres nos geramus, totus Clauſtralium & Studentium chorus, feriâ ſecundâ cujuſlibet hebdomadæ, horâ à Rectore præfigendâ, Miſſam unam ſolemnem pro ſalute piorum Fundatorum celebrabit. Quòd ſi quis ex Fratribus diem extremum claudat, ſtatim morte illius renunciatâ, Clauſtrales cadaver circumcingentes Pſalterium percurrant, & die quo ſepulturæ tradetur, tres Miſſæ *De Spiritu Sancto, De Virgine Maria, pro Defunctis*, cum mortuorum vigiliis devotè cantentur, ſingulíque Sacerdotes duo ſacrificia pro animæ illius ſalute & remedio, Deo Altiſſimo offerent: Novitii Pſalterium abſolvent, expectantes ab aliis alteri quod fecerint.

De Hebdomadariis.

Omnes & Clauſtrales & Religioſi Studentes, viciſſim, & alternatis vicibus, Miſſas celebrent: Solus Rector ab ordine Miſſarum ordinariarum abſolvetur, qui Miſſas diebus ſolemnibus celebrare tenebitur. Et ne confuſio erroris mater contentionem inter Fratres pariat, Clauſtrales, per hebdomadas, viciſſim etiam Cantoris fungantur Officio. Animadvertátque ille qui cantui præeſt, ſe eſſe aurigam Chori, à quo harmoniam regi oporteat. Juniores etiam Studentes, Novitii, aut Preſbyteri, vicibus alternatis cantent Epiſtolas, legant in Refectorio ex libris Bibliorum, ſecundùm qualitatem temporum, acceptâ tamen priùs benedictione à Sacerdote, die Dominico, ſecundum Divi Benedicti regulam. Juniores pariter Antiphonas, Lectiones Matutinarũ, Reſponſoria cantare incipiant, & gradatim aſcendendo, omnes ſequantur; provideántque omnes, hoc modo, ne opus Dei negligenter agant.

VII.

Totus Clauſtralium & Studentium chorus feriâ ſecundâ cujuſlibet hebdomadæ horâ à Rectore præfigenda, Miſſam unam ſolemnem pro ſalute piorum Fundatorum celebrabit. Quòd ſi quis ex Fratribus diem extremum claudat, ſtatim morte illius renunciatâ, Clauſtrales Cadaver circumcingentes Pſalterium percurrant, & die quo ſepulturæ tradetur, tres Miſſæ de Spiritu Sancto, de Virgine Maria, pro Defunctis, *cum mortuorum vigiliis devotè cantentur, ſingulique Sacerdotes duo Sacrificia pro animæ illius ſalute & remedio Deo altiſſimo offerent.*

VIII

De numero Fratrum, & ordine Congregationis.

In Collegio autem conſideratâ temporalium mediocritate, & ut ultimis annis obſervatum reperimus, ſint ſex Clauſtrales, cultui Dei dicati, & duodecim Religioſi Studentes, quibus præſit Rector unus, qui juriſdictionem & in Clauſtrales ſex, & duodecim Scholaſticos exerceat, quos volumus unum eſſe corpus. Nullum inter illos ſit diſcrimen, ſed quiſque ſecundum diem ſuæ receptionis ſit prior in ſede, aut ſequatur, niſi Sacerdotalis dignitas, aut Gradûs præeminentia ſuadeant contrarium; & in eo caſu Sacerdos præeat Novitio, Graduatus non Graduato, magis Graduatus minùs Graduato; eâ tamen lege, ut ſi prior receptus ad Sacerdotium fuerit promotus, vel poſteà gradum conſecutus, ad ſuum receptionis locum regrediatur. Quem Ordinem in Choro, Capitulo, Menſa, Diſputationibus, & ubique obſervari inviolabiliter ſtatuimus.

VIII.

In Monaſterio juxta mandatum h *Sanctiſſimi in Bulla Erectionis illius contentum, ſint duodecim Clauſtrales cultui Dominico dicati, & duodecim* i *Religioſi Studentes, quos volumus eſſe unum corpus, nullùmque inter illos eſſe diſcrimen: ſed quiſquis ſecundùm diem ſuæ receptionis ſit prior in ſede, aut ſequatur, niſi Sacerdotalis dignitas aut Gradûs præeminentia ſuadeant contrarium, & eo caſu Sacerdos præeat Novitio, Graduatus non Graduato, magis Graduatus minùs Graduato. Quem ordinem in Choro, Capitulo, Menſa, Diſputationibus, & ubique obſervari inviolabiliter conſtituimus.*

De Recipiendis Fratribus.

Nullus itaque in album Collegii cenſeatur, qui Ordinem Cluniacenſem non ſit expreſsè profeſſus, aut qui Beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum pacificè obtineat, quò in Univerſitate florenti ſua poſſit commodè finire ſtudia, ne pauperum locum divites uſurpent, & ſe miſſum à Reverendiſſimo Domino Abbate l Cluniacenſi, ad quem omnimoda diſpoſitio Manſionum dicti Collegii pertinet, vel ad ejus Vicarios Literatoriæ & Proviſionis inſtrumento docuerit. Quam quidem proviſionem Fratribus capitulariter per Rectorem congregatis præſentabit; & qui ſi ad manſionem Scholaſticam mittitur, à Rectore & Senioribus, omni poſtpoſito favore, diligenter examinabitur: Et ſi Grammaticas, callet bonáſque imbiberit literas, illum humaniſſimè excipiant, referántque in librum, cum ſubſcriptione diei, quem propter hoc fieri volumus. Si verò ingenio tardus ignoret

IX.

Nullus in album Monaſterii cenſeatur, qui Ordinem Cluniacenſem non ſit expreſsè profeſſus, aut qui Beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum pacificè obtineat, quò in Univerſitate florenti ſua poſſit commodè finire ſtudia, ne pauperum locum divites uſurpent. Si ad occupandam manſionem Scholaſticam præſentatur à Senioribus, omni poſtpoſito favore diligenter examinabitur. Et ſi Grammaticas litteras callet, illum humaniſſimè excipiant, cum ſubſcriptione diei; & ſi in Clauſtralem ſit recipiendus, diſquirant ſaltem ſi Muſicam noverit, & ſi ſit irreprehenſibilis vitâ.

Grammaticam, gradum primum ad altiores diſciplinas: quia per importunitatem multa concedi ſolent, illum, honeſtiùs quò fieri poterit, remittant; at ſi in Clauſtralem ſit recipiendus, diſquirant ſaltem ſi Muſicam noverit, ſi ſit irreprehenſibilis vitæ, ne aliis ſcandalo ſit, & in offendiculum.

De Juramentis in ingreſſu præſtandis.

Probatus illo examine, jurejurando firmabit, quòd toto conatu Statuta præſentia obſervabit, & quantùm patietur humana fragilitas, ab illis non recedet.

Item quòd & Collegii & Ordinis commoda procurabit, incommoda propulſabit: & ſi quid ſiniſtri de Rectore, vel Fratribus ſuis reſciverit, nulli præterquàm Superioribus dicti Ordinis revelabit.

Item ſi contingat à ſuo Rectore Vice-Rectore, vel Fratribus gravari, ad nullum alium judicem quàm Reverendiſſimum Dominum Abbatem Cluniacenſem, aut ejus Vicarios recurret, confugiet, vel appellabit.

Item ad nullam Univerſitatis Dignitatem, Rectoratûs, Doctoratûs, Licentiæ, vel Regentium aſpirabit, niſi licentiâ petitâ & obtentâ à dicto Domino Reverendiſſimo Abbate, vel ab ejus Vicariis.

De audiendis, repetendis & prælegendis Lectionibus.

Diligenter præcaveat Rector ut Religioſi in Scholaſticos recepti, ſtatim ad ſpinoſas & inextricabiles Doctorum altercationes non divertant, quæ illis diffidentiam pariunt; ſed vigilet ut toto ſex menſum circulo Inſtitutionum Juſtiniani contextum, & Titulum de Verborũ ſignificatione memoriâ complectantur: hac enim levi viâ, & ſimplici ad altiora gradatim per methodum gradietur: hoc ergo lacte ubi illum cenſeat enutritum, ſolidiorem præbeat cibum, ordinariámque lectionem Decretalium, quæ minus difficultatis habet, adeat; cui æqualiter omnes Scholaſti-

X.

Probatus illo examine jurejurando firmabit, quòd toto conatu ordinationes præſentes obſervabit, & quantùm patietur humana fragilitas, ab illis non recedet; quòd Monaſterii & Ordinis commoda procurabit, & incommoda propulſabit: Et ſi quid ſiniſtri de Rectore, vel de Fratribus ſuis didiſcerit, nulli præterquam Superioribus dicti Ordinis revelabit.

Item ſi contingat à ſuo Rectore, Vice-Rectore, vel Fratribus gravari, ad nullum alium judicem quàm Reverendum Abbatem Cluniacenſem recurret, refugiet, vel appellabit.

XI.

124

cos Religioſos, & ſine diſcrimine intereſſe volumus, & quam, ſumpto prandio, ſingulis diebus per Rectorem repetendam ordinavimus, ut ex his perpendat quem fructum faciat unaquæque Plantatio. Nec minorem curam adhibeat Vice-Rector, ut lectioni extraordinariæ Juris Canonici, quod profitentur, & in quâ Jus novum ſexti libri Decretalium, & Clementinarum enucleatur, nulla habitâ gradûs differentiâ, omnes interſint, quam ſic prævideat, ut poſt cœnam ab illo repetatur. Quòd ſi præfatus Rector animadvertat alicujus ingenium multiplicem ferre poſſe lectionem, & aliquis Doctor ſplendidi nominis Jura Civilia interpretetur, indulgeat illi; videat tamen ne cui licentiam hanc impartiatur, vagandíque occaſionem præbeat. Diebus autem quibus Doctores feriantur, Rector manè horâ ſeptima aliquam ex Decretalibus materiam, [m] Vice-Rector horâ ſecundâ poſt meridiem, aliquem ex Inſtitutionibus Titulum aſſumant interpretandum in aula Collegii, ut otium modis omnibus fallatur.

De Diſputationum obſervatione.

Incomparabilis, me hercule, fructus ex mutuis diſceptationibus acquiritur, veritas elucidatur, dicendi promptitudo comparatur, & ratio confirmatur. Ut ergo viciſſim Scholaſtici Religioſi ex medullis lectionum axiomata & concluſiones eruant, & diſcutiendas proponant; ſemel in hebdomada ordinavimus, ut die præfigenda à Rectore, ſinguli Fratres,& ſuo quiſque ordine, in illas ſua tela contorqueant, & argumenta duo moveant.

De Tempore ſtudii.

Nec tamen ſeneſcendum & his inhærendum ſcopulis, ſeptémque annorum ſpatium præſcribendum Scholaſticis ad curſum ſtudii perficiendum putavimus; quod Academiarum Fundatores ſufficere ad Inſignia Doctoratûs promerenda ſunt arbitrati: & quo expleto, alteri locum dandum intelligant. Si tamen

X I.

Septem annorum ſpatium præſcribendum Scholaſticis ad curſum ſtudii perficiendum putavimus, quod Academiarum Fundatores ſufficere ad inſignia Doctoratûs promovenda ſunt arbitrati, & quo expleto, alteri locum dandum, intelligimus & ordinamus.

per eorum negligentiam aut ſocordiam aliter viſum fuerit, revocari citiùs poterunt ad nutum Reverendiſſimi Domini Abbatis, [n] aut ejus Vicarii.

De Locutione Linguæ Latinæ.

Studentes Muſis conſecrati, non materno aut vulgari ſermone utantur, ſed, exercitatione & uſu, Linguam Latinam ſibi comparent: ut ſi quandoque interpretandum, diſputandum, perorandum, vel ſcribendum ſit, promptus, expeditus & facilis ſermo adſit. Quòd ſi quis protervus & arrogans, hanc noſtram Ordinationem admodum utilem obſervare contempſerit, pro menſura delicti à Rectore emendetur.

De Promotione ad Gradus Scholaſticos.

Nemo ex præfatis Religioſis ad Lauream illam Doctoratûs, aut Licentiæ aſpiret, niſi qui ſeptennio integro Juri Canonico aſſiduam dederit operam, qui in publico Gymnaſio per biennium publicè Jura fuerit interpretatus, in conſpectúque totius Univerſitatis, affixis concluſionibus, omnium argumentantium impetus ſuſtinuerit: hoc enim igne probatus, coronam illam Doctoratûs, aut Licentiæ adipiſcatur; licentiâ tamen à dicto Reverend. Abbate, ſeu ejus Vicariis petitâ & obtentâ. Quòd ſi quis in ſuo ſenſu abundans, id præſumpſerit, ſuperiorum licentiâ non imperatâ tanquam vanæ gloriæ cupidus, honore, ſede prærogativis & fructu ſui Gradûs careat, & diſciplinæ regulari ſubjaceat. Sufficere autem ad illam primam Lauream quam Baccalaureatum vocant, adipiſcendam arbitramur, ſi anno uno in Collegii Scholis perlegerit, & in Capitulo generali Cluniacenſi poſitiones viriliter ſuſtinuerit, illámque recipiendi à ſuo Rectore facultatem obtinuerit.

De Moderata cibi & potûs ratione.

Cum fruſtrà ad Vitam Spiritalem aſſurgere nitatur qui gulam refrænare non nititur; in refectione corporali, omnis exceſſus præcavendus eſt, ne ci-

XII.

Licèt ex Divo Patre Benedicto, difficile ſit certam victûs legem præſcribere, tamen arbitramur ſingulis Fratribus quotidie ſufficere poſſe pondus duarum librarum cum dimidia

bo prægravati, reddatur ad ſpiritalia ineptiores. Et licèt ex S. P. Benedicto difficile ſit certam victûs legem præſcribere; ex loci tamen qualitate & diſpoſitione arbitramur ſingulis Fratribus quotidie ſufficere poſſe pondus duarum librarum cum dimidia panis frumenti boni & purgati, duarúmque lagenarum vini, quas picherios vocant, quantitatem. ° Et quia plerumque longa eſſe ſolet intercapedo inter prandium & cœnam, vehementíſque caloris intemperies æſtuat; ſecundum Conſtitutiones olim per recolendæ memoriæ Dominum Joannem de Magdalena, Priorem Majorem Cluniacenſem,& de Charitate editas in viſitatione dicti Collegii, indulgemus nt toto anno quolibet die, niſi jejunium fuerit, horâ ſecundâ poſt meridiem, & à Feſto Reſurrectionis Dominicæ uſque ad Kalendas Octobris horâ ſeptimâ poſt cœnam, qualibet vice,vas unum vini continentiæ trium Picheriorum pro omnibus dividatur, quod æqualiter inter præſentes diſtribuatur illis per ſonum campanæ vocatis. Diebus autem Quadrageſimæ, & aliorum jejuniorum ab Eccleſia inſtitutorum, duabus libris panis & duabus lagenis, ſeu Picheriis vini maneant contenti. Pro pulmentis autem cuique ex Religioſis Fratribus decem Denarii Turonenſes ad carnes, laridum, piſces & alias dapes comparandas, in communi ſingulis diebus etiam jejuniorum largientur. In ſolemnitatibus autem Natalis Domini, ejus Circumciſionis, Epiphaniæ, ſancti Benedicti, Paſchæ, Pentecoſtes, ſancti Martialis Patroni. SS. Ap. Petri & Pauli, Aſſumptionis B. Mariæ, & omnium Sanctorum commemoratione pro ſingulis viginti Denarii Turonenſes,ratione Duplicis numerentur. Rector autem cùm præſit, duplicem Præbendam panis, vini, pecuniarum, in piſces, aut carnes, in communi tamen convertendarum, ſecundum laudabilem Monaſteriorum dicti noſtri Ordinis conſuetudinem percipiet. Et quo dicti Religioſi Fratres lautiùs tractentur, qualibet hebdomada ad caſeum

midia panis frumenti boni & purgati, duarúmque lagenarum vini quantitatem. Diebus autem Quadrageſimæ, & aliorum jejuniorum ab Eccleſia inſtitutorũ, duabus libris panis & duabus lagenis vini maneant contenti: pro pulmentis autem cuique ex Religioſis Fratribus ſex Denarii Turonenſes ad carnes, laridum, piſces & alias dapes comparandas,in communi ſingulis diebus, etiam jejuniorum, largientur. In ſolemnitatibus autem Natalis Domini,Circumciſionis, Epiphaniæ, Sancti Benedicti, Paſchæ, Pentecoſtes, Sancti Martialis Patroni, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum commemoratione, pro ſingulis duodecim denarii Turonenſes ratione Duplicis numerentur: ſingulis verò diebus quibus à carnibus abſtinendum eſt, aut jejunium obſervabitur, tres olei menſuras qui præerit culinæ ad offam condiendam, piſcéſque parandos. Diebus verò Dominicis, Martis & Jovis, quibus carnes eduntur, qualibet vice dimidiam partem dictæ menſuræ ad lactucas & herbas comedendas, pro toto conventu recipiet.

& ultimas menſas comparandas, quinque Solidos Turonenſes, & diebus quibus fiet Proceſſio, Aſſem Turonenſem in augmentum pietantiæ communis recipient; ſingulis verò diebus quibus à carnibus abſtinendum eſt, aut jejunium obſervabitur, tres olei menſuras quas *Sezain* [p] vocant, qui præerit culinæ ad offam condiendam, piſcéſque parandos; diebus verò Dominicis, Martis, & Jovis quibus carnes eduntur, qualibet vice dimidiam partem dictæ menſuræ ad lactucas & herbas comedendas pro toto conventu recipiet.

De Sararum Litterarum lectione tempore Refectionis.

Et ne dum corpus reficitur, mens jejuna remaneat; & ut guſtent fauces cordis verbum Dei, à Novitiis, vel junioribus Sacerdotibus per hebdomadas in introitu & fine prandii & cœnæ perlegatur caput unum ex ſacris Bibliorum libris, ſecundum temporum qualitatem, & ex Hiſtoriis quæ in Eccleſia Matre noſtra decantantur: ut impinguato corpore, & ſpiritus ſaginetur: & refectione ſumptâ, gratiarum actiones conventualiter agantur uſque ad Eccleſiam, ſaltem per Clauſtrales.

XIII.

Et ne dum corpus reficitur, mens jejuna remaneat, à Novitiis, vel junioribus Sacerdotibus, per hebdomadas in introitu & fine prandii & cœnæ, prælegatur caput unum ex ſacris Bibliorum libris, ſecundum temporis qualitatem; & refectione, ſumptâ gratiarum actiones conventualiter agantur, uſque ad Eccleſiam, ſaltem per Clauſtrales.

De infirmis Fratribus & ſtipendiis Medici.

Si quem ex Fratribus morbo gravi affici contigerit, provideat Rector, ne adverſus traditiones Canonicas priùs ſaluti corporis conſulat, quàm ad Medicum ſpiritualem recurrat. Infirmantem itaque ubi expoſcet urgens neceſſitas in Valetudinario tractari humaniſſimè procuret: Cui expenſis Collegii medicamenta, famulus, focus mediocris, & dapes ad juſtum præbendæ ordinariæ, vel circa, ex Medici conſilio ſuppeditentur. Et quò celeriùs medicina apparetur, Medico ordinario Collegii in ſalarium ſingulis annis ſumma ſex florenorum numeretur.

XIV.

Si quem ex Fratribus morbo gravi affici contigerit, provideat Rector, ne adverſus traditiones Canonicas priùs ſaluti corporis conſulat quàm ad Medicum ſpiritualem recurrat. Infirmantem itaque ubi urgens expoſcit neceſſitas, in Valetudinario tractari humaniſſimè procuret, cui medicamenta, famulus, focus mediocris, & dapes ad juſtum præbendæ ordinariæ valorem vel circa, ex Medici conſilio ſuppeditentur. Et quò celeriùs medicina apparetur, Medico ordinario Monaſterii in ſalarium ſingulis annis ſumma ſex florenorum numeretur.

De Tonſura & Tonſoris ſalario.

Honeſtum planè ſanxit Canonum authoritas, ut & Monachi barbam radant,

XV.

Honeſtum planè ſanxit Canonum authoritas, ut & Monachi barbam radant, & comam

comam non nutriant. Itaque inſtantibus præcipuis anni Feſtivitatibus, ſaltem ſemel in menſe, & tempore quo hebdomadam Majoris Miſſæ ſunt ingreſſuri, aſcendat novacula ſuper caput, & barbam radant, ſaltem quindenis quibuſque diebus, ut exteriùs crinibus amputatis, oſtendant interiorem criminum purgationem. Et ob hanc cauſam Tonſori ſex florenorum ſalarium ſingulis annis perſolvi ordinamus.

De Veſtiario, & regulari veſtimentorum delatione.

In veſtitu ſicut & in victu Monachum ſobrium eſſe decet: nam ab illo hoc exigit Monaſtica profeſſio, ut amictum Patrum ordinationibus convenientem geſtet. Abſint igitur à Monachis, veſtes, [r] Flocci, vel indumenta ſerica, tibialia larvata, induſia variè ornata & complicata, quæ prodigioſo ſpectaculo mundanos & aulicos ſe oſtentantes, non Religioſos decent; ſed veſtes talares, caputium biretro admotum, ex panno laneo, habeant. Et cùm ex primæva Collegii inſtitutione ſumma ſex florenorum tantùm cuilibet pro annuo veſtiario conſtituta eſſet, & poſteà incomparabilis probitatis dictus Dom. Joannes de Magdalena de duobus florenis ſingulis annis eâ conditione illud auxiſſet, ut ex illis cucullas regulares emerent, quas in Eccleſiâ, Scholis, & Actibus publicis deferrent: & poſtmodum perſpectâ temporum qualitate, dictum veſtiarium quod ex conſtitutione dicti Joannis, octo florenorum erat, ad decem florenos auctum redactúmque fuerit. Nos cùm proventus dicti Collegii ad id ſupportandum ſufficientes reperti fuerint, ordinavimus, ut perpetuis temporibus ſingulis annis dicti Religioſi, tam Clauſtrales quàm Studentes dictos decem florenos recipiant. Rectori autem & Sub-priori pro duplici veſtiario [s] viginti floreni computentur. Quibus tamen in virtute ſanctæ obediētiæ injungimus, ut cucullis regularibus ex Flocco de Croperiis, aut Villerario, intereſſendo divi-

comam non nutriant. Itaque inſtantibus præcipuis anni feſtivitatibus, ſaltem ſemel in menſe, caput ac barbam radant, & ob hanc cauſam Tonſori ſex florenorum ſalarium ſingulis annis perſolvi ordinamus.

XVI.

Abſint à Monachis veſtes, flocci, vel indumenta ſerica, induſia vario ornatu [q] & complicata, quæ prodigioſo ſpectaculo mundanos aulicos ſe oſtentantes, non Religioſos, decent: ſed veſtes talares, capucium biretro admotum, ex panno laneo, habeant, & ſingulis annis pro annuo veſtiario, tam Clauſtrales quàm Studentes Religioſi ſummam decem florenorum à Rectore recipiant.

XVII.

nis, in Eccleſia, in Scholis, Actibus & Congregationibus publicis utantur, quas Rector tempore Capituli Generalis Cluniacenſis in deductionem dicti Veſtiarii comparare poterit; alioquin ſi obſervare neglexerint, correctioni ſubjaceant regulari, per modum Culpæ.

De vitanda ſecularium converſatione.

Nuſquam in locum Religioſi Studentis, Sæcularis ſufficiatur; nuſquam in Manſionem Scholaſticam recipiatur, aut ſub quocumque colore in Collegium admittatur, ut cum Fratribus vivat, verſetur & in Dormitorio pernoctet: indignum reputantes ut in bove & aſino aratrum moveamus, & alienigenæ panem filiorum comedant. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, Religioſis omnibus dicti Collegii, ne Sæcularem in menſam, & in Refectorium, prandii, aut cœnæ ſumendæ gratiâ, introducant, niſi licentiâ à Rectore petitâ & obtentâ.

De vitanda per urbem vagatione.

Monachi ſic inſtituendus eſt animus, ut mundo, neque placere affectet, neque diſplicere pertimeſcat. Contineat ergo ſe in Clauſtro, non diſcurrat, non vagetur, non urbes frequentet, niſi magna requirat neceſſitas, & permittat Superiorum authoritas, habeátque ſecum Fratris Religioſi teſtimonium: non ſtent otioſi ante fores Collegii, & Crucem, confabulando, indè multarum carnalium cupiditatum occaſiones ſumentes. Quòd ſi quis vagandi occaſione ſumptâ, quæ à Divino cultu & literarum ſtudio avocat, correctus ſemel atque iterum, non emendaverit, graviùs puniatur, & carceribus mancipetur.

De Capitulis congregandis, & concionibus in illis habendis.

Die Mercurii per ſingulas hebdomadas Rector Seniores, Sub-Priorem ſcilicet & Vice-Rectorem convocet, ſimúlque ſuper vita, moribus & correctione

XVII.

Die Mercurii per ſingulas hebdomadas Rector Seniores convocet, ſimúlque ſuper vita & moribus, & correctione Fratrum, colloquantur, de quibus inter eos diſcuſſis, &

Fratrum colloquantur. De quibus inter eos diſcuſſis, & deliberatis, dictus Rector, aut in ejus abſentia, Vice-Rector, & gradatim Sub-Prior, Capitulum dato per campanam ſigno, ingrediantur, quo loco ſingulatim Fratrum per hebdomadam commiſſi errores notentur, pœnitentia ſalutaris injungatur, & aliquâ præfatione honeſtâ & exhortatione ſalubri ad benè beatéque vivendum incitentur. Nullus autem adverſus ſtimulum recalcitrare audeat, nullus reſiſtat, omnes obediant, & humiliter Superiorum juſſionibus obſequantur. In Vigiliis quoque Natalis Domini, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, Annunciationis & Aſſumptionis intemeratæ V. M. Apoſtolorum Petri & Pauli, Divorum Benedicti Legiſlatoris noſtri, & Martialis Patroni, & in Cœna Domini, omnes Capitulum conveniant, in quo Religioſi Studentes alternatis vicibus, & ſuo quiſque ordine concionabuntur, & Latinam orationem habebunt: hac enim fiet exercitatione ſalubri, ut aptiores & promptiores reddantur, cùm in varias noſtræ Religionis colonias miſſi fuerint, necnon abſolutiones generales fiant Capitulariter, in die Jovis ſancta, & Vigiliâ Natalis Domini, ſicut in Cluniaco.

& deliberatis, dictus Rector, aut in ejus abſentia, Vice-Rector Capitulum, dato per campanam ſigno, ingrediantur, quo loco ſingulatim Fratrum per hebdomadam commiſſi errores notentur, pœnitentia ſalutaris injungatur, & aliquâ præfatione honeſtâ, & exhortatione ſalubri ad benè beatéque vivendum incitentur. In Vigiliis quoque ſolemnibus omnes Capitulum conveniant, in quo Religioſi Studentes alternatis vicibus, & ſuo quiſque ordine concionabuntur, & Latinam orationem habebunt; hac enim fiet exercitatione ſalubri, ut aptiores & promptiores reddantur cùm in varias noſtri Ordinis colonias miſſi fuerint.

Quibus ex cauſis quis privandus erit manſione Scholaſtica.

Si adeptus fuerit Officium, vel Beneficium Eccleſiaſticum pacificè, cujus redditus, deductis oneribus ſufficere, poſſint ad confovenda ſtudia in Univerſitate famoſa, niſi ſuper hoc beneficium diſpenſationis à Reverendiſſimo Abbate Cluniacenſi impetraverit; ſi ſeptem annorum in ſtudio Juris Canonici curſum abſolverit, ſi de furto notabili convictus fuerit; ſi tertiò manus violentas in Fratres injecerit; ſi ter in urbe pernoctaverit, ſi nomen bonum & famam Domini Rectoris & Fratrum denigraverit; ſi mulierem ſuſpectam & lubricam in Collegium intromiſerit, ſeméque de incontinentia convictus fuerit; ſi elatus, ſuperbus, de rebellione in Su-

XVIII.

Privandus erit manſione ſua ſi quis adeptus fuerit Officium, vel Beneficium Eccleſiaſticum pacificè, cujus redditus, deductis oneribus, ſufficere poſſint ad confovenda ſtudia in Univerſitate famoſa, ſi ſeptem annorum in ſtudio Juris Canonici curſum abſolverit, ſi de furto notabili convictus fuerit, ſi tertiò manus violentas in Fratres miſerit. Si ter in [1] urbe pernoctaverit, ſi nomen bonum & famam Rectoris, & Fratrum denigraverit, ſi mulierem ſuſpectam, & lubricam in Monaſterium intromiſerit, ſeméque de incontinentia convictus fuerit, ſi elatus, aut ſuperbus, de rebellione in ſuperiores notatus, non emendaverit vitam in melius, vel ſi quâ aliâ juſtâ causâ dicto Rectori vi-

periores notatus non emendaverit vitam in melius; ſi ligandi ſolvendíque claves contempſerit, & ligatus celebrare præſumpſerit, vel ſi quâ aliâ juſtâ causâ dicto Reverendiſſimo Domino Abbati videbitur, vel ejus Vicariis.

De prohibita armorum cuſtodia.

Quò per præſentes noſtras Conſtitutiones omni periculo occurramus, ſub excommunicationis cenſura omnibus Fratribus dicti Collegii diſtrictè inhibemus, ne enſes, gladios, aut cujuſlibet generis arma in cellulis ſuis cuſtodiant. Sed ſi quæ habent, ſecundum Conſtitutionem Clementinæ, *Ne in agro*, in manibus Superiorum conſervanda reponant, alioquin ſi hanc noſtram ordinationem, imò verò Sanctionem Canonicam quis obſervare neglexerit, ſeptem diebus carcere claudatur, & in Capitulo abſolvatur.

De clavium Collegii, Sanctuarii, & Titulorum cuſtodia.

Rector, ut paſtorem decet, oves ſuas includat, ne occaſione datâ vagentur & errent, diligenter apud ſe, omnes Collegii: & Eccleſiæ claves cuſtodiat, & reſervet; nulli illas credat ne adulterinæ fabricentur: claudat, obdat peſſulo; foribus, ſtatim ubi tenebræ ſpargi cœperint clauſit. Nullas portas aperiat niſi ſole orto, & jam ſuâ lampade cuncta luſtrante. Jocalia verò Eccleſiæ & documenta, quæ inter pretioſa annumeramus, ſub trium clavium ſecuritate ſerventur, quarum unam Rector, aliam Sub-Prior, tertiam Sacriſta habeat.

De horâ cubandi.

Et quia ignis vehementia, animi vires, & robur enervat & debilitat, ſtatuimus ut hyemis tempore horâ nonâ pulſatâ, famuli ignem tegant, Fratres omnes Dormitorium aſcendant, quod æſtatis tempore obſervari inviolabiliter conſtituimus, injungentes omnibus ne antè januas cellarum ſuarum claudant, quàm Rector, aut Vice-Re-

debitur, ſub excommunicationis cenſura.

XIX.

Omnibus Fratribus dicti Monaſterii diſtrictè inhibemus, ne enſes, [v] *gladios, aut cujuſlibet generis arma in cellulis ſuis cuſtodiant, alioquin ſi hanc noſtram ordinationem, ſeu ſanctionem Canonicam quis obſervare neglexerit, ſeptem diebus carcere claudatur, & in capitulo abſolvatur.*

XX.

Rector diligenter apud ſe omnes Monaſterii & Eccleſiæ claves cuſtodiat & reſervet, nulli illas cedat, ne adulterinæ fabricentur, claudat, obdat peſſulâ, foribus, ſtatim ubi tenebræ ſpargi cœperint. Nullas portas aperiat niſi ſole orto. Jocalia verò Eccleſiæ & documenta quæ inter pretioſa annumeramus, ſub trium clavium ſecuritate ſerventur, quarum unam Rector, aliam [u] *Vice-Rector, tertiam Sacriſta habeat.*

XXI.

Et quia ignis vehementia, animi vires, & robur enervat & debilitat: ordinamus ut hyemis tempore, horâ nonâ pulſatâ, famuli ignem tegant, Fratres omnes Dormitorium accedant, quod & æſtatis tempore obſervari inviolabiliter conſtituimus, injungentes omnibus, ne antè januas cellarum [x] *ſuarum claudant, ut aut Vice-Rector Dormitorium perluſtrare poſſit &*

Digitized by Google

ctor Dormitorium perluſtraverit, & viderit ſi qua ex ovibus ſuis ab ovili deſit, quò errantes inquirat & reducat.

De cauſis Collegii & Advocato.

Cum pro Juribus Collegii movenda erit controverſia, Rector, Vice-Rectorem, Sub-Priorem, & Patronum cauſarum dicti Collegii convocet, qui ſimul inſpicient merita Cauſæ, Titulos & Inſtrumenta examinent, quódque agendum erit, memoriali conſcribent: quod dictus Rector ad Reverendiſſimum Abbatem *y* Adminiſtratorem dicti Collegii, aut ejus Vicarium remittet, ut expectatà ejus juſſione ſuper dictis litium amfractibus, quod ordinatum ab eo fuerit peragat. Patrono autem pro honorario, annuatim ſumma ſex florenorum perſolvatur.

De famulis Collegii.

Et quia neceſſitas cogit, Rector & Sacriſta famulos Conventûs, Diſpenſatorem, Cocum, & juvenem qui dicto Coco ſuppetias ferat, habeant, non inconſtantes, non lubricos, ſed modeſtos, prudentes & caſtos, & quorum vita Religioſis ſcandalo eſſe non poſſit, qui ingredientes Collegium juramento firmabunt ſe bona Collegii conſervaturos; & ſi quid ſiniſtri viderint in aliquo, nuſquam niſi Superioribus revelaturos. Unuſquiſque autem illorum ſingulis diebus, duas libras panis & duorum Picheriorum vini quantitatem, & tres denarios Turonenſes in pulmentum, ſeu pietantiam convertendos percipiet, excepto illo juniore qui culinæ adeſt, cui qualibet die unum Picherium vini ſufficere arbitrati ſumus. Diſpenſatori autem & Coco, & cuilibet illorum, decem florenorum ſumma pro ſalariis annuis computabitur. Rector verò & Sacriſta ſuorum famulorum ſtipendia, ut hactenùs obſervatum fuit, perſolvant. Pro mercede autem ejus qui mappas, linteamina, induſia, & cætera hujuſmodi abluet, lavabit, mundabit, ſingulis annis ſumma quindecim florenorum ex proventibus dicti Collegii numerabitur.

& videre, ſi qua ex ovibus ſuis ab ovili deſit.

XXII.

Dum pro Juribus Collegii Monaſterii movenda erit controverſia, Rector ſeniores & Patronum cauſarum dicti Monaſterii convocet, qui ſimul inſpicient merita cauſæ, titulos & inſtrumenta examinent, ut ſuper dictis litium infractibus quid faciendum videatur, & Patrono pro honorario annuatim ſumma ſex florenorum à Rectore perſolvatur.

XXIII.

Et quia neceſſitas cogit eſſe famulos in Monaſterio, ſcilicet Diſpenſatorem, Coquum & juvenem qui dicto Coquo ſuppetias ferat, Rector caveat habere non inconſtantes, non lubricos, ſed modeſtos, prudentes & caſtos, & quorum vita Religioſis ſcandalo eſſe non poſſit, qui ingredientes Monaſterium juramento firmabunt ſe bona Monaſterii conſervaturos, & ſi quid ſiniſtri viderint in aliquo, niſi Superioribus revelaturos. Unuſquiſque autem illorum ſingulis diebus duas libras panis & duarum lagenarum vini quantitatem, & tres denarios Turonenſes in pulmentum convertendos percipiet, excepto illo juniore qui culinæ adeſt, cui qualibet die unam lagenam vini ſufficere arbitrati ſumus. Diſpenſatori autem & Coquo decem florenorum ſumma pro ſalariis annuis computabitur per Rectorem. Sacriſta ſuo famulo ſtipendia perſolvat. Pro mercede autem ejus qui mappas, linteamina, induſia, & cætera hujuſmodi abluet, lavabit, & mundabit, ſingulis annis ſummam quindecim [z] *florenorum Rector numerabit.*

PVBLICATIO VISITATIONIS D. J. Dublé.

ACTA & publicata ſunt ſuprà dicta in Præfato Collegio coram dictis Fratribus noſtris Capitulariter Congregatis, die quinta menſis Decembris, anno prædicto milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, & in præmiſſorum fidem & teſtimonium, Sigillum noſtrum his præſentibus duximus apponendum. Sic ſignatum Joannes Dublé, Prior Rulliaci 1550.

Carolus miſeratione divina rituli S. Apollinaris, S.R.E. Preſbyter Cardinalis de Lotharingia nuncupatus, Archiepiſcopus Dux Rhemenſis, Primus Par Franciæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ Legatus natus, necnon ſacri & incliti Monaſterii, totiúſque Ordinis Cluniac. Abbas Commendatarius & Adminiſtrator perpetuus. Notum facimus univerſis, quòd viſis per nos Statutis & Ordinationibus in præcedentibus undecim foliis Cartæ Pergamenæ deſcriptis, in Viſitatione Collegi noſtri Sancti Martialis Avenionenſis, die quinta menſis Decembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, pro ſtabilimento Regularis obſervantiæ in dicto Collegio factis, lectis, & publicatis per Chariſſimum nobis in Chriſto Domnum Joannem Dublé, aliàs de Cormatain, ſubter-ſignarum Priorem Rulliaci, nunc verò Priorem Prioratûs Conventualis Sancti Marcelli Cabilonenſis, noſtrum in Monaſterio & Ordine Cluniacenſi in Spiritualibus & Temporalibus Vicarium Generalem; Ordinationes & Statuta hujuſmodi tanquam juſta & rationabilia de plurimorum virorum proborum, etiam Religioſorum nobis adſtantium conſilio laudavimus, approbavimus, & ratificavimus, ac per præſentes laudamus, ratificamus, & approbamus: harum ſerie mandantes Rectori & Religioſis noſtris in dicto Collegio nunc & pro tempore exiſtentibus, quatenùs Statuta & Ordinationes prædictas perpetuò & inviolabiliter obſervent, atque cuſtodiant. In cujus rei teſtimonium hoc ratificationis Inſtrumentum manu noſtra ſubſcriptum, per Secretariū noſtrum ſignari, ſigillíque noſtri majoris & minoris juſſimus & fecimus impreſſione muniri. Datum in Monaſterio noſtro Majoris Monaſterii propè Turones, die tertiâ menſis Martii, anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto. Sic ſignatum, CAROLUS. Et infrà ſigillum per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Abbatem Cluniacenſem ſuprà dictum, Reverendiſſimis Dominis Cabilonenſi & Ambianenſi Epiſcopis præſentibus. BRETON.

CONCLVSIO INSTRVMENTI veri anni 1379. 13. Decemb.

AVenione in Palatio Apoſtolico in retro-Camera Theſaurariæ Cameræ Apoſtolicæ, in qua dictus Dominus Camerarius, & alii Domini de Camera conſueverunt tenere ſua conſilia, die decimâ tertiâ menſis Decembris anno à Nativitate Domini milleſimo treceнteſimo ſeptuageſimo nono, præſentibus & pro teſtibus requiſitis Reverendis in Chriſto Patre Domino Petro ...

CONCLUSIO STATUTORUM ſuppoſititiorum 1379. 26. Decemb.

ACta & publicata fuerunt ſuprà dicta Avenione in Palatio Apoſtolico in retro-Camera Theſauraria Cameræ Apoſtolicæ, in qua dictus Camerarius, & alii Domini de Camera conſueverunt tenere ſua conſilia: anno, indictione, die, menſe, & Pontificatû quibus ſuprà; & pro teſtibus requiſitis Reverendo in Chriſto Patre Domino Petro, Dei gratiâ, Epiſcopo Magalonenſi, Theſaurario dicti Domini Papæ, Domino,

rardi, Dei gratiâ Epiſcopo Magalonenſi, Theſaurario dicti Domini Papæ; Domino Petro Girardi Clerico Cameræ Apoſtolicæ, & Æmone Henrici Procuratore Fiſcali; Magiſtro Joanne de Regio, Cive Avenionenſi, & Domino Joanne Roſſeti Notario dictæ Cameræ Apoſtolicæ, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Joannes Picardi Clericus Antiſiodorenſis Diœceſis, publicus Apoſtolicâ & Imperiali authoritate Notarius, qui præmiſſis recitationi, unioni, & ordinationi, & aliis ſuprà dictis, & factis per dictos Dominos Abbatem & Camerarium, dum, ut præmittitur, recitarentur, dicerentur, & fierent unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, & cum prædicto Joanne Roſſeti Notario Apoſtolico, cum eodem Notario notam recepi, de qua præſens publicum Inſtrumentum extraxi, & per alium aliis præpeditus negotiis ſcribi feci, méque hîc ſubſcripſi, ac meis nomine, & ſigno conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum. Et ego Joannes Roſſeti de Marcigniaco Clericus Eduenſis Diœceſis, authoritate Apoſtolica, & Imperiali publicus Notarius, præmiſſis unioni & ordinationi, & aliis ſuprà dictis ſic actis per dictos Dominos Camerarium & Abbatem, unà cum Magiſtro Joanne Picardi Clerico Antiſiodorenſis Diœceſis, authoritate Apoſtolica & Imperiali publico Notario & teſtibus ſuprà dictis præſens fui, præſénſque publicum Inſtrumentum expedivi, & per alium aliis occupatus negotiis, ſcribi feci, & hîc me ſubſcripſi, & ſignum meum conſuetum appoſui in teſtimonium præmiſſorum vocatus & rogatus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avenione [illegible] Kalendas Octobris, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

no Petro Girardo Clerico Cameræ Apoſtolicæ, & Rainaudo de Turri & Paulo de Ferres, Civibus Avenionenſibus, & Domino Joanne Roſſeti Notariis dictæ Cameræ Apoſtolicæ ad præmiſſa vocatis, & ſpecialiter rogatis, & me Petro Baſſurelli Clerico Mimatenſis Diœceſis, publico Apoſtolica & Imperiali authoritatibus Notario, qui in præſentibus & ſingulis ordinationibus & conſtitutionibus, dum per dictos DD. Camerarium & Abbatem agerentur, ſeu fierent, unà cùm prænominatis teſtibus præſens fui, vidi & audivi, eáque requiſitus in notam ſumpſi & recepi publicam, & ex inde in hanc formam publicam redegi, manúque mea propria ſcripſi & ſignum meum conſuetum appoſui, & me ſubſcripſi in teſtimonium præmiſſorum, requiſitus & rogatus.

BVLLA CONFIRMATIONIS in Rectoria Sancti Martialis, data D. Antonio Roſſet ab Urbano Papâ VIII. 1632.

VRBANUS Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Roſſet Monachus expreſsè profeſſus Ordinis Cluniacenſis, Decretorum Doctor, Collegii Sancti Martialis Avenionenſis ejuſdem Ordinis Rector, ac Vicarius Generalis Abbatis Monaſterii, & totius Ordinis Cluniacenſis, quod aliàs poſtquam CLAUDIUS à GUISIA Monaſterii, ac totius Ordinis Cluniacenſis Abbas Generalis tunc in humanis agens, Præfatum Antonium, ob ſingularia ejus merita, ac ejus ingenii ſolertiam, [aa] & diſciplinarum peritiam, Collegio Sancti Martialis prædicto à dicto Monaſterio dependenti, & tunc Rectore deſtituto, in Alma Univerſitate Studii Avenionenſis à quondam CARDINALE DE CROSO Arelatenſi Archiepiſcopo, pro duodecim Monachis dicti Ordinis Juri Canonico Studentibus fundato, conſtructo [bb] & dotato, in Rectorem & Gymnaſiarcham, ad ſui vitam [cc] præfecerat, conſtituerat, & deputaverat: bonæ memoriæ LUDOVICUS S. R. E. CARDINALIS à GUISIA nuncupatus, qui dictum Monaſterium in Commendam ad ejus vitam, ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica, dum viveret obtinebat, veſtigiis dicti CLAUDII inſiſtens, ac eiſdem rationibus adductus, præfectionem, conſtitutionem & deputationem dicti Antonii in ipſius Collegii Rectorem, & Adminiſtratorem ratificavit, ac eundem Antonium de novo in dicti Collegii Rectorem & Moderatorem, ad ejus vitam, conſtituit & deputavit: ſubindéque felicis recordationis Paulus Papa V. ſupplicationibus dicti Antonii ſibi porrectis inclinatus, ratificationem, conſtitutionem, & deputationem à dicto LUDOVICO CARDINALI, ut præfertur, factas Apoſtolica, authoritate approbavit & confirmavit, dictúmque Antonium in Rectorem, Adminiſtratorem, Gymnaſiarcham, & Primarium, eâdem authoritate ad vitam conſtituit & deputavit: necnon etiam felicis recordationis Gregorius Papa XV. conſtitutionem & deputationem, in Adminiſtratorem, Rectorem, & Gymnaſiarcham dicti Collegii de perſona ipſius Antonii ad ejus vitam, ut præfertur, factas, approbavit & confirmavit, ac de novo eundem Antonium in Rectorem, Adminiſtratorem, Gymnaſiarcham, & Primarium dicti Collegii, ad ejus vitam, dicta authoritate pariter conſtituit & deputavit; ac nuper, ſeu aliàs dilectus filius noſter Joannes Armandus S. R. E. Preſbyter Cardinalis DE RICHELIEU nuncupatus, ejuſdem Monaſterii, & totius Ordinis Cluniacenſis, ex diſpenſatione Apoſtolica Abbas Generalis, prædeceſſorum ſuorum in dicto Monaſterio veſtigiis inſiſtens, dictum Officium Rectoriatûs, Adminiſtrationis dicti Collegii, necnon Literas Proviſionis ejuſdem in dicti Antonii favorem expeditas, ſub modis & formis in eiſdem contentis, confirmavit & approbavit, ac de novo eundem Antonium de dicto Officio Rectoriatûs & Adminiſtrationis providit, & aliàs, prout in reſpectivè in Literis deſuper expeditis latius continetur. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Antonius Proviſionem ſibi per dictum JOANNEM ARMANDUM CARDINALEM, ut præfertur, factam, aliáque præmiſſa Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummoperè deſideret, Nos eundem Antonium ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſenten

ſententiis cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine, quâvis occaſione, vel causâ, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes: ſupplicationibus, illius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Proviſionem hujuſmodi, & alia præmiſſa Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, approbamus & confirmamus, ac omnes & ſingulos tam Juris quàm Facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus: decernentes illa, necnon præſentes Literas, valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, dictóque Antonio pleniſſimè ſuffragari, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi secùs ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nonobſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; ac Monaſterii & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis aliâ firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque omnibus quæ in dictis Literis conceſſa ſunt, non obſtare, aliiſque omnibus contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decimâ quintâ Martii 1632. Pontificatûs noſtri anno nono. M. A. MARALDUS.

SUPPLEX LIBELLUS
Religioſorum Collegii Avenionenſis, oblatus Paulo V. anno 1615.

Supplicem hunc libellum offerunt ſuæ Sanctitati Religioſi Scholaſtici, qui ſuperſunt in Collegio Avenionenſi Sancti Martialis Ordinis Cluniacenſis.

BEATISSIME ac Sanctiſſime Pater; Quia ad alium non poſſumus recurrere, qui poſſit efficaciter providere noſtro Collegio proximam in Spiritualibus & Temporalibus ruinam minitanti, quàm ad Sanctitatem veſtram; humiles propterea proſternimus nos ad veſtræ Sanctitatis pedes, ſupplicem opem poſtulaturi, quam certò nobis pollicemur, ſi miſerandum noſtri Monaſterii ſimúlque Collegii ſtatum placeat, ex infrà ſcriptis articulis, intelligere.

I. RES DIVINÆ.

Domnus Antonius Roſſetus, qui eſt Prior Sancti Andreæ in Delphinatu, & à quindecim annis eſt Rector & Sacriſta hujuſce noſtri Collegii, implicat ſe totum negotiis ſæcularibus, & proceſſibus forenſibus. Rerum divinarum & ſacrarum eſt omninò incurius. Templum malè ornatum & ſordidum tenet. Veſtes pro Miniſtris altaris laceræ & detritæ ſunt. Officium Divinum fit perfunctoriè, ideóque non frequentatur Eccleſia noſtra. Sanctorum Reliquias, imò & venerabile

bile ſanctæ Crucis lignum, quod hîc habetur, pro re communi habet. Sanctiſſimum Sacramentum, quod aliquoties decidere permiſit, quaſi panem vulgarem attollit è terra, nullâ deterſione loci adhibitâ. Hortationes ad Collegiatos non habet, ſpiritualis quippè non eſt & devotus, & in eâ eſt opinione apud omnes. Eccleſiæ quæ ex hoc Collegio dependent, ſicut & illa ſancti Andreæ, cujus ille eſt Prior, ſtabula potiùs videntur quàm Templa Dei; adeò ruinoſa & immunda ſunt: cùm tamen magni ſint illorum redditus.

II. *RES SCHOLASTICÆ.*

Quod jampridem præſtitit in ſuo Prioratu Sancti Andreæ, ut ex ſeptem Religioſis qui debent Officium divinum perſolvere, ſex ejecerit, cùm tamen ſint pluſquam quingenta ſcuta in annuos redditus, idem ex hoc Collegio fecit: debemus enim eſſe quindecim Religioſi Scholares, cum quatuor ſervis, qui miniſtrent: jam vix ſumus ſeptem aut octo, cum unico ſervo. Nulla diſciplina religioſa, vel ſcholaſtica hîc ſervatur. Miſſus eſt Vicarius Generalis noſtri Ordinis ad viſitandum Collegium & reformandum; prohibuit illi ingreſſum Collegii manu armatâ, & per quatuor menſes adhibuit ſatellites ad cuſtodiam portæ Collegii. Suorum ſubditorum curam nullam gerit: immò duos dicti Ordinis Religioſos nuper cum dedecore & ſcandalo per mediam civitatem jubebat in habitu deduci, mediâ luce, in publicum carcerem, & levi ex causâ.

III. *MORES AC RELIGIO.*

Mores illius ſunt planè ſcandaloſi. Multis annis, totâ Civitate Avenionenſi id ſciente, pluribus abuſus eſt fœminis, conjugatis, & non conjugatis, quas tenuit noctu frequenter in Collegio, cum offenſione maritorum & noſtro ſcandalo. Unus quippe Religioſus, illius exemplo, tenuit etiam in hoc Collegio ſcortum, illo ſciente & applaudente. Viſus eſt frequenter egredi è Lupanari, & rectà ingredi Templum, & ſtatim, nullâ præmiſſâ confeſſione, Miſſam celebrare. Dicitur etiam quòd jactaverit ſe, quod non conſecraret in Miſſa. Magna familiaritas quam habuit cum Hæreticis, ſuſpicionem magnam ingerit de ejus fide & Religione. Locavit, citra omnem neceſſitatem, Villam & fructus Collegii Hæreticis; introduxit eos in loca in quibus priùs non erant. Claves & ornamenta Eccleſiæ dedit illis cuſtodienda. Tempore Quadrageſimæ in hoc ipſo Collegio permiſit illis edere carnem, immò & cum illis comedit, benè ſanus corpore.

IV. *RES TEMPORALES.*

Bona temporalia ac redditus Collegii ſibi appropriavit, & expendit cum meretricibus, in comeſſationibus, & muneribus offerendis. Idem etiam deſtruxit & vendidit, cum magno Collegii detrimento, ingentem ſylvam lignorum. [dd] Ædificia corruunt, tùm in Collegio, tùm in villis, & nullam planè facit reparationem. Undique corradit pecuniam, cum damno mobilium bonorum & immobilium, ac Feudorum Collegii; paucos Scholaſticos alendo in Collegio, malè eos tractando, nihil reſtaurando, nullos libros emendo Collegio, & nulla ornamenta Eccleſiæ procurando; quam ob cauſam generalis Procurator noſtri Ordinis eum ad judicium vocavit: Sed verſutus homo, reddit litem immortalem. [ee]

Atque ex iis ſufficienter intelligit Sanctitas veſtra, quo in ſtatu nos, reſque noſtri Collegii ſimus. Remedium tot malis expectamus ab ipſa ſola: Rogamus autem

autem obnixè illam, ut quem ſtatuer pro adhibendo remedio, ſit intelligens rerum Monaſterii & Collegii; ſimul ſit etiam probus & integer, qui nullatenùs artificiis & muneribus prædicti Domini Roſſet pervertatur: ſuis quippè artibus & pecuniis vafrè & dolosè ferè omnium quibuſcum egit, ſenſum ac judicium corrupit. Iterùm humiles & devoti ſupplicamus Veſtræ Sanctitati; ut noſtræ Religioni, ac ſtudiis conſultum velit, brevi & efficaciter. Datum Avenione vigeſimâ quartâ menſis Martii, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo-quinto.

NOTULÆ IN INSTRUMENTA SUPERIORA.

Unde arguitur ſubleſta fides Statutorum ſpuriorum Concinnatoris.

PAg. 45. ¶ En quo nomine cenſeretur Collegium Avenionenſe, anno 1550.

Pag. 46. † Attendant qui Rectoratum aliud eſſe putant, quàm Vicariam Adminiſtrationem, revocabilem ad nutum perpetui & immediati bonorum Collegii Moderatoris Abbatis Cluniacenſis.

Pag. 47. * Hic Epilogus inde tranſlatus eſt à Plagiario ad finem Præfationis Statutorum ſuorum Apocryphorum, ut pag. 44. videre eſt.

Pag. 47. a Malignè omiſſa ſunt, à Statutorum Architecto, Jurium Abbatis Cluniacenſis invidioſo, hæc verba. *Ad Abbatem Cluniacenſem, in cujus manu & voluntate ſunt omnia.*

Pag. 47. b Eraſa pariter, de induſtria, hæc verba Joannis Dublé. *Qui à cunabulis in Ordine Cluniacenſi educatus, quique non ex Diplomate Pontificio, &c.* quòd Domini de la Coſte rationibus officerent.

Pag. 48. c Expunxit pariter Beneficii prehenſator, annua quæ Rectori Dublæus ſtipendia conſtituerat, ſexaginta Librarum Turonenſium, cum duplici Præbenda, ut & Veſtiarium duplex 20. florenorum, pag. 59.

Pag. 48. d Vice-Rectori Libras duodecim in annum ſolvere, avaro Statutorum conſarcinatori animus non erat.

Pag. 49. e Maluit qui Beneficio inhiabat, novam ſupellectilem ære ſuo Eccleſiæ ſuppeditare, quàm ex hoc onere agnoſcere immediatum in res Collegii Abbatis Cluniacenſis jus & dominium: in cujus manu erant, Dublæi tempore, univerſa Collegii bona.

Pag. 50. f Pſeudo-Jacobo planè contraria ſanciebat verus Jacobus ſtatut. 2. ann. 1383.

Pag. 50. g Igitur Miſſa de B. Virg. celebrabatur in Collegio ab anno 1379. At anno 1383. nondum inductum fuiſſe ejuſmodi uſum teſtatur Jacobus Abbas Statut. 1. Celebrabuntur, inquit, tres Miſſæ, una ſubmiſſâ voce de manè, quæ celebrabitur per Studentes, & aliæ duæ cum notâ. De Miſſa de B. V. ne verbum quidem.

Pag. 53. h & 43. 44. Oſtendant qui tuentur falſa Statuta, eo tempore, *Sanctiſſimi* appellationem, abſolutè, & ſine addito, uſu receptam fuiſſe.

Pag. 53. i Quem numerum, ut Fundationi conſonaret, Falſarius ſervatum voluit, ipſe non adeò implevit, ut ne longo quidem intervallo, per annos 40. æquaverit Studentium numerum à Dublæo conſtitutum.

Pag. 53. l Subducta Abbati Cluniacenſi, & ſibi arrogata à Statutorum Propôla Studentium Proviſio & Diſpoſitio, liquidò probat, quâ mente hæc Statuta fingerentur.

Pag. 55. m Nihil de Scholaſticis in Collegio concertationibus. Erat ſcilicet conſcius ſuæ tenuitatis, qui ſibi Beneficium ſine Officio apparabat.

Pag. 56. [n] Placuit eidem Interpolatori aſſumere ſibi Rectori futuro Studentium revocationem, quæ jure ſpectat ad Abbatem, ut teſtatur iterùm Dublæus pag. 62.

Pag. 57. [o] & pag. 58. [p] Merenda ſubtracta : olei & vini menſuræ Rectoris arbitrio relictæ, argumenta ſunt parſimoniæ providi Statutorum autoris, ſuis rebus, in antoceſſum, conſulentis.

Pag. 59. [r] Floccus, Ampla veſtis, in Choro geſtari ſolita. Ibid. [s] Pagi ubi panni hujuſcemodi è lanâ texuntur, in Arvernia.

Pag. 61. [t] & 62. [u] Apage pudenda hæc in Ordine Cluniacenſi, Jacobi tempore, ſcelerum monſtra.

Pag. 62. [x] Nondum aſſignata erat, Jacobi I. tempore, ſua ſingulis Religioſis cella. Vide ejus Stat. 9.

Pag. 63. [y] Spectabat ad Abbatem, Dublæi ætate, Collegii, cujus erat ſupremus Adminiſtrator, & Dominus immediatus, rebus litibúſque proſpicere.

Pag. 63. [z] Numerare maluit Rector è ſuo, non è proventibus Collegii, ne merus appareret illius Oeconomus.

Page 65. Manifeſta toto hoc Epilogo fraudis indicia. Mutatum conſultò Notarii nomen : ſervatis tamen Prælatorum Curiæ Romanæ, qui citantur in Inſtrumento nominibus. Cives Avenionenſes in Notarios Cameræ Apoſtolicæ transformati. Excipi debuerat à Roſſeto Cameræ Apoſtolicæ Notario, unà cum adjuncto ſibi Baſſurello, Statutorum Nota : uti priùs in Inſtrumenti Publicatione adjunctus fuerat Roſſeto Cameræ Apoſtolicæ Notario, Notarius alter Picardi.

Pag. 66. [aa] [bb] [cc] Quot verba, tot mendacia! Temerè, & falsò ſibi plaudit Roſſetus. Non eſt Fundator Collegii Card. de Croſo. Nulla, in Fundationis Bulla, Univerſitatis mentio. Roſſetum *ad ſui vitam*, non deputavit Claud. Abbas in Gymnaſiarcham.

Pag. 67. [dd] Sylva de Fallifoco. Vide pag. 30. 1. Part.

Pag. 67. [ee] Contra D. de la Cour Rectorem à Card. Lud. de Lotharingia inſtitutum. Ibid. Accercitus Roſſetus ad Inquiſitionis Officium & ad Regia Tribunalia à Procuratore Ordinis, 1614. & 1615.

DEMONST,

DEMONSTRATUR

FICTITIA ESSE STATUTA, QUÆ falſò adſcribuntur Iacobo Primo de Cauſſans, Cluniacenſi Abbati, & Ioanni de Croſo Archiepiſcopo Arelatenſi, quæ Avenione in Palatio Pontificio die vigeſimâ-ſextâ Decembris, anni M. CCC. LXXIX. *publicata temerè perhibentur, & quibus perperàm contenditur Sancti Martialis Rectoratus (quem appellant) perpetui Beneficii titulo inſignitus.*

COMMENTITIA hæc fictáque Decreta proferre omnium primô venit in mentem D. de la Coſte, quò nimirum planum faceret conferri ſibi jure optimo potuiſſe Sancti Martialis Rectoratum à Prolegato Pontificio. Quo quidem tam levi, támque nullo fundamento nititur jus omne eorum, quos illius hac in re exemplum ſequi non pœnituit, ſperantes fortaſſe rem ad aliquam cum Abbatibus Cluniacenſibus compoſitionem aliquando tandem adducendam.

Cùm primùm de novis hiſce Decretis percrebuiſſet ſermo, de illis continuò ſummâ curâ ac diligentiâ perquiſitum in majori minoríque Cluniacenſis Abbatiæ Tabulario: ſed fruſtrà omninò perquiſitum eſt; quippe nihil prætérquam repertum eſt recens quoddam, adeóque informe illorum exemplar Avenione in Collegio S. Martialis (nam informius Apographum nihil moramur) ut ex primo illius aſpectu omninò judicatum fuerit, vix aut nullo modo prolatum iri ab iis ipſis à quibus tantoperè fuerat venditatum, ubi primùm quas complectitur rerum repugnantias, miráſque ineptias animadvertiſſent.

Satis utique ſupérque eſſe poſſet quod ſuprà demonſtratum eſt, Decreta ſcilicet, illa quæ pervulgata finguntur poſt diem tertium decimum quàm Pontifex Summus oblatum ſibi cùm ab Arelatenſi Archiepiſcopo, tùm à Jacobo Abbate Inſtrumentum edito Diplomate publicè ratum eſſe voluit: Ficta inquam hæc Decreta, non modò trecentos propemodùm annos in S. Martialis Collegio, atque adeò in Cluniacenſi Ordine univerſo incognita atque inaudita omninò fuiſſe; verùm etiam, ut maximè, & ab illis quibus falsò adſcribuntur viris, & illo ipſo quo jactatur tempore edita fuiſſe ultrò concederetur, illud certè reliquum fore ſemper (de quo ambigi non poteſt) hæc nimirùm Decreta jam indè ab initio fuiſſe repudiata prorſúſque abrogata; cúmque ab inſtituto Collegio, nulla illorum, nec ſemel quidem habita ratio fuerit hactenùs, ipsâ (ut aſſolet) deſuetudine prorsùs obſoleviſſe.

Si ergo hæc commenta refellimus, ad juris nimirum quemdam quaſi cumu-

Digitized by Google

lum atque abundantiam refellimus, ut illis liquidiùs innoteſcat veritas quibus commentum illud fucum facere fortè potuiſſet.

Si ſemel fictitium eſſe atque adulterinum commentum illud quo uno nititur facta à Prolegato Pontificis collatio, meridianâ luce clariùs oſtenſum à nobis erit. Non video profectò quid demùm perfugii ſupereſſe poſſit hominibus illis qui D. de Peſieu negotium exhibere conantur, quandoquidem Rectoratus, ſi Jus ſpectare velimus, nil præterquam ſimplex Procuratio fuit ab initio; ſi verò Factum, à Procuratoribus, qui amoveri munere poſſent ad Abbatis arbitrium, fuit ſemper adminiſtratus.

Quò verò ratione & viâ hæc confutatio procedat, pauca quædam capita præmiſiſſe operæpretium eſt, de quibus inter omnes facilè conveniet.

Primùm omnium exponenda ingenuè prima Collegii, de quo ſuprà egimus, conſtitutio. Quâ de re unum hoc perpaucis ſat habebimus dicere, Jacobum Abbatem de Cauſſans à Clemente VII. qui id temporis in Neapolitano Regno verſabatur, inſtituendi Avenione Gymnaſii, illíque ſubindè ex Cluniacenſibus Beneficiis, quod ſatis eſſet ad alendos cùm Religioſos, tùm Alumnos in illorum diſciplinam tradendos, facultatem, anno 1378. poſtulaſſe: quoad verò gubernandi rationem attinet, Abbatem Arelatenſis Archiepiſcopi Pontificii cubiculi Præfecti conſiliis omnia compoſiturum, *per Monachos ejuſdem Monaſterii Cluniacenſis juxta ordinationem dicti Jacobi Abbatis, cum conſilio Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Arelatenſis Camerarii noſtri, ſuper hoc faciendam, perpetuò regatur & etiam gubernetur.* Geminæ huic poſtulationi acquievit Pontifex, conceſſis Literis, Speluncæ, in Caietanâ Diœceſi II. Calend. Maii, primo Pontificatûs ſui anno.

Pontifici ſubindè Avenionem reduci Libellus oblatus ab Archiepiſcopo Arelatenſi & Abbate, quo ſignificabat Hic attribuiſſe ſe ex Cluniacenſibus Beneficiis in annuos Gymnaſii ſumptus, certam quamdam, ut Pontifici viſum fuerat, pecuniæ ſummam: *univit idem Abbas & incorporavit.* Quod ad gubernandi verò rationem attinet: *Dominus Abbas de voluntate & conſenſu dicti Domini Camerarii ordinavit, quòd adminiſtrationi dicti Monaſterii, & illi Monaſterio præſit Procurator dicti Domini Abbatis, quem ad hoc duxerit ordinandum, donec ſuper regimine dicti Monaſterii aliud fuerit ordinatum.* Datum denique diploma alterum Avenione II. Cal. Oct. anno M. CCC. LXXIX. quo Pontifex quæ ſibi ab Archiepiſcopo & Abbate expoſita de ſcripto fuerant, ea rata eſſe ac firma jubet.

Præterea hoc ſciviſſe opus eſt, Abbatem eundem ſanciendæ Monaſticæ diſciplinæ Collegii, Decreta quædam feciſſe anno M. CCC. LXXXIII. Extat etiamnum illorum exemplar in Cluniacenſi Tabulario. Quin & illa autoritate ſuâ comprobavit Abbas Oddo, ſuiſque ſexaginta poſt annos Decretis ad verbum inſeruit. Extat utrorumque exemplar Abbatis chirographo munitum.

Tertiò illud quoque ſcire imprimis opus eſt, Domnum Joan. Dublé, Magnum (ut appellant) Cluniacenſem Priorem, & Caroli Lotharingi Cardinalis Generalem Vicarium, ut collapſam Collegii S. Martialis diſciplinam in integrum reſtitueret, ſolemni illud (ut fit) inſpectione luſtraſſe anno M. DL. Certior omninò eſſe non poteſt facti fides; cùm & ipſius Cardinalis & illius Scribæ chirographo teſtatum, & majori Cardinalis ejuſdem ſigillo conſignatum ſit, & autographum ipſum extet apud Nos.

Quarto loco id quoque advertendum, ficta illa de quibus ſuprà dictum eſt Decreta, D. Joannis Dublé Decretorum non modò ſimillima eſſe, verùm etiam iiſdem planè verbis concepta, ſi pauca quædam excipias, quæ novus ille Actorum Concinnator immutavit, prout ſibi rebuſque ſuis facto opus eſſe arbitratus eſt, ut poſthàc planum fiet.

Atque ut res tota legenti planior atque expeditior fiat, primum geminum Collegii Inſtitutionis diploma inſerto Libello ſeu Inſtrumento Avenione Pontifici oblato; deinde genuina Jacobi Abbatis Decreta anno M. CCC. LXXXIII. edita; poſtremò denique integra Luſtrationis à D. Jacobo Dublé factæ Acta typis mandati euravimus, quibus in adverſa columna, adulterina Decreta ſubjicere viſum eſt, quæ profectò illorum ad exemplum inſulsè atque ineleganter admodum fuiſſe compacta promptum erit cuivis intelligere.

Grave ſanè nobis fuit, eò denique redactam rem eſſe, ut omninò neceſſe habeamus horum Decretorum Artificem notum omnibus facere. Quæ quidem cum D. Roſſet qui obiit anno M. DC. XLIII. ignota omninò fuerint, relinquitur planè Statuta illa tempore D. de la Coſte fuiſſe fabricata. Etenim ſi vir hoc loco & genere natus, impotenti (quæ humana fragilitas eſt) redituum Eccleſiaſticorum cupidine illectus, parum honeſtam adipiſcendi Beneficii viam inire veritus non eſt, hôc certè eſt laudandus, quod intruſionis ſuæ (quoad ejus fieri potuit) vitium tollere conatus fuerit, non modo poſtulatâ à Contio Principe legitimâ collatione; & illegitimâ repudiatâ; verùm etiam impetratâ à tribus qui deinceps illi ſucceſſerunt Cardinalibus, confirmatione.

Quinetiam non Literæ modò quæ extant, ſed etiam ex primâ nobilitate Viri fidei probatiſſimæ teſtati etiamnum poterunt, quo anno mortuus eſt D. de la Coſte, cùm ii penes quos erat poteſtas, ultrò cum illo egiſſent de ineundis optimis quibuſque viis, quibus Rectoratum jure optimo (ut aiunt) *in titulum* poſſidere, alteríque tranſcribere poſſet: teſtari, inquam, poterunt D. de la Coſte oblatam ultrò conditionem conſtanter repudiaſſe, quòd nimirum ſalvâ (ut profitebatur ipſe) conſcientiæ religione, non poſſet illius Officii conditionem ac naturam mutare, quod nihil niſi Procurationem uni Cluniacenſium Abbatum juri obnoxiam eſſe non ignoraret.

Quamquam non eadem initio fuerat hominis fides atque religio: impetratâ enim à Pontificio Prolegato collatione, quaſcumque comminiſci potuit firmandi ſui juris, vias inivit. Penes nos eſt quam anno M. DC. XLIV. ſcripſit epiſtolam ad D. Eleazarum Pellicier, qui Sacriſtæ (ut aiunt) munus ambiebat, quâ abundè pollicitus illi quidquid in ſe gratiæ, quidquid opis eſſet & autoritatis, hominem etiam atque etiam hortatur, omnes muniendo ſuo juri tabulas pérquam ſedulò perſcrutetur, monétque ne ullam ex iis quæ in Sancti Martialis Tabulario aſſervantur cum quopiam communicet, omneſque demum cùm Seculares, tum Religioſos Collegii aditu penitùs intercludat.

Tùm Ille cum Emiſſariis Tabularium perſcrutari ſedulò, perveſtigare, rimari omnia, ſed incaſſum: quippe repertæ paſſim innumeræ Tabulæ quibus cauſam ſuam planè jugulari cernerent, nedum quidpiam, quod rationibus ſuis faveret, reperire potuerint. Hîc illi vanâ ſpe deluſi, omnia Viſitationum acta, Rectorum Collationes, Abbatum Edicta, & omnia denique id genus ſuis rationibus ad verſantia, amovent nimirum ex oculis atque ex conſpectu; juriſque ſui quam ipſimet agnoſcerent imbecillitatem aliquâ fulcire machinâ, novóque aliquo commento corroborare omninò conſtituunt.

Cùm verò geminas de fundato Gymnaſio Literas Pontificias adulterare ſibi perdifficile fore ſatis intelligerent, tutius nempè, fraudíque opportunius arbitrati ſunt pro Inſtrumento, de quo toties egimus, adulterina decreta ſufficere.

Etenim quòd genuino illo Inſtrumento nil præterquam generatim atque univerſè Collegii adminiſtrationi ex Pontificis mandato cautum atque conſultum eſſe animadvertiſſent, præclaram ſcilicet in hiſce verbis, *quod Abbas poſſit facere ordinationes & Statuta circa regimen Monaſterii prædicti*, occaſionem nactos eſſe ſe arbitrati ſunt ementita ac ſimulata quædam decreta comminiſcendi, eâ nimirùm

mente, eóque conſilio, ut inter promiſcuam reliquorum turbam irrepere clanculum poſſet unum quodpiam, quô Rectoratus in perpetui Beneficii titulum erectus fingeretur, commentitia hæc Decreta pro veris, & à Pontifice approbatis ſe vendituros ſperantes.

Quiſquis is eſt fraudis hujus Architectus, næ ille ſanè ingenio ac conſilio defectus eſt in re longè difficillimâ, & quæ multæ cautionis eſſet ac calliditatis: erat enim imitatione exprimendus Jacobi Abbatis ſtylus; veríque ſimillimum eſt noſtrum hunc Architectum de Decretis à Jacobo Abbate anno M. CCC. LXXXIII. pro Gymnaſio editis nihil umquam ne fando quidem audiſſe. Reliquum igitur erat ut Inſtrumentum Pontifici oblatum & in Literis inſertum conaretur imitari. Atque hîc magnoperè velim advertatis incredibilem hominis inſcientiam atque ſtoliditatem: quidquid enim uſui ſibi eſſe poſſe credidit, Exordium ac Concluſionem totidem fermè verbis exſcripſit. Decreta verò ipſa quæ ſuo marte confinxiſſe opus erat (ut iis excogitandis impar erat illius ingenium) cùm incidiſſet in Statuta quædam, in eleganti pergamenâ, deſcripta, quibus D. Joannis Dublé continebatur Viſitatio, nullâ habitâ vel temporis, vel ſtyli ratione, ad verbum tranſcripſit integra capita, exceptis Decretis quibuſdam quæ rationibus ſuis adverſari intellexit, undè cùm nec pes, nec caput uni redderetur formæ, nil præterquam extitit informe quoddam monſtrum ac chimæra,

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa capella.

In hoc porrò commento tantùm inſcientiæ, tantùm doli mali ac fraudis apparebit, ut ſit ſanè quod pudeat eos qui tam futili authoritate confiſi, rem poſt inſtitutum Collegium inauditam atque inuſitatam moliri auſi ſunt. Id unum vereri habemus, ut ne tam longa ineptiarum ſeries legentium faſtidiis adhæreſcat; tot enim ſunt profectò ut in juſtum volumen excreſcere, & ad certa quædam revocari capita potuiſſent, in quibus primùm, *Inſulſitates*, deindè *Errores contra rationem temporum*, tum *Morum ætatis illius ignorantiam*, poſtremò denique *Repugnantias* fuſiùs perſequi facile eſſet. Verùm ut ne actum agatur, néve abeamus longiùs, ſatius erit hæc Decreta ſingillatim expendere, poſtquam notationibus nonnullis illorum vanitatem demonſtraverimus.

Atque illud pervelim in primis Lector animadvertat, quod loqui per ſe quodammodo videtur, tantam ſcilicet intereſſe ſimilitudinem inter ficta hæc, & D. Joannis Dublé Decreta, ut opus ſit alterum ex altero imitatione expreſſum fuiſſe. Reſtat igitur ut vel D. Joannes Dublé edita, ante ducentos annos, Jacobi Abbatis decreta totidem verbis deſcripſerit, vel certè, ut falſarius quiſpiam facta anno M. D. L. à D. Joanne Dublé, decreta ſuffuratus, illa Jacobo Abbati, tanto pòſt tempore, perperam attribuerit, quaſi ſi promulgata fuiſſent annis, ante facta Joannis Dublé Decreta, omninò C. LXXI. Quòd enim annorum ducentorum intervallo homines duo faciundis ſuis Decretis, & eadem ſenſerint, & iiſdem planè verbis, caſu quodam ac fortuitò, uſi fuerint, id verò fidei adeò abſonum eſt, ut verbis & argumentis hac in re nil opus eſſe arbitremur.

Quânam igitur arte, quâ demum viâ, vera à fictis, ab adulterinis germana ſecernere poterimus. Quærendum nempè, in tam lubrico támque difficili loco, ubi tutò pedem figere poſſimus; Acta dico Jacobi Abbatis anno M. CCC. LXXXIII. edita, indubitatæ miniméque ſuſpectæ fidei, quæ vide pag. 42. in quibus mirum in modum ſpirant ætatis illius mores & ſtylus.

Age igitur, videamus num id genus ſint quæ Jacobo Abbati falsò affinguntur, decreta; an non potiùs ſeculi XVI. ingenium ſtylúmque redoleant.

Equidem, ut ad ipſa fraudis cubilia perveniatur, hoc unum velim, ut adulterina hæc cum germanis ejuſdem Abbatis Decretis anno M. CCC. LXXXIII. editis conferantur. Vel ex ipsâ enim ſtyli utriuſque collatione liquidò ac manifeſtò patebit,

bit, illorum autorem eſſe D. Joannem Dublé, nec niſi ab imperitiſſimo ſtylorum æſtimatore, Jacobo Abbati qui ducentis ante annis vixerat, aſſignari potuiſſe.

Qui enim aut quo demum pacto Jacobi Abbatis ſtylus ſibi ipſe non abſimilis modò, ſed prorsùs contrarius evaſit? Sic enim ſcripta ſunt D. Joan. Dublé decreta, ut & ſtylus orationis floſculis conſperſus, & verborum circumſcriptio ſit numeroſa, ut Pariſienſis, denique Academiæ alumnum ſapiat; Jacobi contra (ut temporibus illis) horrida ſit ac inquinata oratio, quæque inelegantem Monaſtici hominis ruſticitatem planè redoleat.

Conferamus nunc ſingillatim ſtylum utrumque; illum dico qui anno M. CCC. LXXIX. & eum qui ſub annum M. D. L. vigebat. Hoc nimirum quem hîc ſubjicio ſermone utebantur Cluniacenſes ſeculo quarto decimo; neque enim alia niſi quæ fortè in hoc ſcripto occurrerunt verba longiùs accerſere opus eſt.

Sic habet Jacobus Abbas in quarto ſuo Decreto: *Item non erunt auſi exire clauſtrum Collegii & diſcurrere per villam.* Rursùm Decreto 7. *quando eos mandabit pro proceſſionibus fiendis.* Et in Decreto 11. *Sub obedientiâ Prioris de Guilleſtra, qui diſponet de omnibus juxta ejus voluntatem*, pro *ſuam*. Rursùm decem poſt annis D. Meyreſii in Tabulis accepti & expenſi: *De pecuniis quas ſibi debebantur pro loquerio.* Rursùm 20. poſt annis D. Dufour in ſuâ Apologiâ: *In quibus potero relevare Collegium, relevabo; nec credo fuiſſe tribulationem ſicut fuit hodie; & ſi non fuiſſem tribulatus, ſicut fui, hodie non deberem denarium.* Rursùm anno M. CCCC. XL. quo paulò minor eſſe debebat ſermonis barbaries, Abbas Oddo (ut temporibus illis ſatis eruditus) ad Collegii hujus Religioſos de Rectore ſcribens: *Quantùm eſt de perſonâ ſuâ, dicitur quod ipſe eſt benè levis, & quaſi nihil ſapit de Ordine. Et propterea præmiſſis attentis, nos ſumus intentionis infra breve providendi de meliori: nam ipſe bonus homo, non habet niſi verba.* Rursùm anno M. CCCC. XLVII. Abbas Oddo in ſuis Decretis: *Propter debatum inter Rectorem Collegii & Studentes: ſi contingat*, inquit ille, *aliquem Fratrem ſe abſentare à dicto Collegio, & extrà manere per quindecim dies, defalquetur de....* Rursùm Rector Tholigni in Apologiâ ſuâ: *Ipſe ſoli benè vellet quòd ipſe Rector viveret de vento.*

Conferte nunc cum hiſce ſordibus elegantiam ſermonis qui Abbati Jacobo accomodatur. Sic enim anno M. CCC. LXXIX. loquens inducitur: *Cùm ex Platone quales ſunt in Republicâ Principes, tales ſoleant eſſe cives.* Primo verò Decreto de Rectore agens: *Doctoratûs aut Licentiatûs diademate præfulgeat, qui poſt labores Literis impenſos & paleſtræ ſcholaſticæ ſudores ſuſtentatos, palmam Doctoratûs aut Licentiatûs ſit promeritus.* Rursùm Decreto 11. de Rectoris Vicario agens: *Vicarias ſuper grege Dominico excubias faciat, qui tamen Sacerdotali clareſcat honore, & ad gradus Baccalaureatûs ſit promotus.* Rursùm Decreto 5. *Surgant Fratres quos Gallus torpentes arguit.* Rurſùmque 9. Decreto: *Nullus in album Monaſterii cenſeatur.* Denique ſexto-decimo Decreto: *Induſia vario ornatu & complicata, quæ prodigioſo ſpectaculo mundanos aulicos ſe oſtentantes, non Religioſos decent.* Infinitas id genus locutiones hoc loco commemorare poſſem, quas luce meridianâ clarius eſt, totidem verbis eſſe tranſcriptas ex Decretis Joannis Dublé anno M. CCCCC. L. editis, quo tempore incorruptæ Latini ſermonis integritati atque elegantiæ (quod nemo mediocriter Litteratus ignorat) Itali paſſim, Gallique ac Germani vehementiùs ſtudebant.

Neque verò ex hâc ſolummodò (quam dixi) ſtyli diſſimilitudine commentum arguitur. Tanta eſt enim prætereà in duobus hiſce Decretorum generibus diſcrepantia, tam parum ſibi conſentaneæ leges, tâmque pugnantes uſus, ut fidei prorsùs abſonum ſit illa & eodem tempore, & ab eodem auctore proficiſci potuiſſe.

Hoccine credibile eſt Abbatem Jacobum cùm anno M. CCC. LXXXIII. naſcentis cujuſdam Collegii mentionem faciat, cujus nondum conſtet forma diſciplinæ, quodque ſit à reditibus æquè & ab habitatione prorſùs imparatum, eundem tamen quatuor ante annis, nimirum anno M. CCC. LXXIX. ea præcepiſſe quæ & jamdudum conſtitutam Domum & idonea domeſticis exercitiis loca, & præfectos ſua munia reipsâ obeuntes poſtulare omninò videantur.

Illud quidem (ſi non ea quæ fermè fiunt, ſed quæ fieri omninò poſſunt ſpectemus) illud inquam reverâ contigiſſe omninò potuiſſet, ut cùm anno M. CCC. LXXIX. Jacobus Abbas Collegii S. Martialis mentionem feciſſet tamquam exorientis, informis & à reditibus atque habitatione imparati, idem tamen anno M. CCC. LXXXIII. ea præcepiſſet quæ & jamdudum conſtitutam (quemadmodum diximus) Domum & domeſticis exercitiis idonea loca, & obeuntes ſua munia Præfectos poſtularent. Hoc verò fidei prorſus abſonum eſt Abbatem illum ſimul anno M.CCC.LXXXIII. Collegii hujuſce tanquam informis, & indotati feciſſe mentionem, ſimúlque anno M. CCC. LXXIX. quo nempè inſtitutum eſt, ſic loquutum de illo fuiſſe quaſi ſi omnia, ut dicimus, ſtabilita ritè atque ordinata jamdudum fuiſſent.

Cautum erat genuinis Decretis à Jacobo Abbate editis anno M. CCC. LXXXIII. ut ne pluſquam ſex omninò Religioſi alerentur qui adeſſent choro, totidem qui Literarii ſtudii curriculum conficerent, donec nova Beneficiorum acceſſione ditatum fuiſſet Collegium. Verùm adulterina noſtra Decreta ſublatis penitùs hiſce cancellis, alterum tantùm, duodecim nempe celebrando choro, totidemque colendis Literarum ſtudiis ſine cunctatione decernunt. Num igitur quatuor poſt annis anguſtior fuerat Collegii res? at per id tempus facta fuerat Prioratus (ut aiunt) de Tincto acceſſio. Augendus ergo fuerat, ex Jacobi Abbatis præſcripto, numerus Religioſorum, nedum fuiſſet minuendus: *& tunc augmentabitur* (inquit idem Jacobus) *numerus Religioſorum.*

Decreta anno M. CCC. LXXXIII. edita, ſolius Guilleſtrenſis Gymnaſiarchæ mentionem faciunt, *qui diſponet de omnibus juxta ejus voluntatem, & ſecundariò ſub obedientia ſub-Prioris in futuro.* Atenim quatuor ante annis, anno nempè M. CCC. LXXIX. adulterina Decreta tam Rectorem in titulum (ut aiunt) conſtituerant jam erat Prorector (ſi adverſarios audiamus) jam Ædituus, quæ tamen munia nonniſi longo poſt tempore in Collegium inducta fuiſſe conſtat, Ædituus centum poſt annis, Prorector poſt ducentos.

Rursùm commentitiis Decretis cautum eſt ac ſancitum, ut vel qui Literis dant operam, antelucanis precibus in choro ritè interſint omnes; cùm tamen germana ac vera Decreta illos hoc onere diebus ſaltem profeſtis prorſus levatos velint.

Intererat multum Statutorum Architecti, cujus utique longè alia mens erat, quàm ut magnum aleret Religiorum numerum, editis in D. Joan. Dublé ſolemni inſpectione Decretis, hac in parte adhæreſcere, ut ne ſileret Matutinus chorus, ſi ab eo profeſtis diebus frequentando forent immunes quicumque Literarum ſtudiis operam darent.

Non equidem arbitror magnum illi opus fuiſſe acumen ingenii ut intelligeret ſi hæc D. Joannis Dublé Decreta Jacobo vellet affingere, expungenda ſcilicet eſſe verba hæc: *præter antiquum morem*, quæ quidem in naſcentis Collegii incunabula parum oppidò caderent, quæ verba jure optimo Dublæus Inſpector addiderat, cum duobus retrò ſeculis inveteratum morem immutaret quò feriatis diebus à matutino choro vacatio concedebatur iis qui literarum ſtudia nondum abſolviſſent: verùm in germanis D. Joan. Dublé Decretis, verba hæc: *præter antiquorum morem*, tollere non potuit Falſarius noſter, ut videre eſt,

eſt, pag. 50. hinc nimirùm efficitur veteri Collegii S. Martialis conſuetudine conceſſam fuiſſe profeſtis diebus à Matutino choro vacationem iis omnibus qui Studiorum curriculum nondum confecerant. Undè perſpicuum illud eſt, vera Joannis Abbatis Decreta anno M. CCC. LXXXIII. edita in S. Martialis Gymnaſio viguiſſe ſemper; adulterina verò non modò non viguiſſe, ſed ne fuiſſe quidem cognita. Si enim Decreta illa (quemadmodum adverſariis placet) in Pontificio Auditorio lecta, Pontifex ipſe rata habuiſſet, Næ illorum fuiſſet vis major ac pondus, quàm vis eorum, quæ Jacobus Abbas ſuo marte edita in S. Martialis Cœnobio ſolùm promulgaſſet, quæ nihilo tamen minùs ad uſque D. Joan. Dublæi tempora, ſola viguerunt.

Ex hiſce omnibus liquidò ac manifeſtò efficitur commentitia atque adulterina dubio procul eſſe Decreta hæc. Verùm quid ſibi vult mirum illud Jacobi Abbatis ſilentium? aut quô denique pacto cùm anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo tertio, ſanciendæ Collegii diſciplinæ Decreta ederet, quæ habemus, de illis quæ ante annos quatuor in eâdem causâ feciſſet, mentionem omninò nullam, verbum nullum facere potuit? Næ ille hoc (ut aſſolet) præfari certè debuiſſet: facta quidem à ſe fuiſſe de Arelatenſis Archiepiſcopi conſilio Decreta quædam perampla ante annos quatuor, quæ in Pontificii Palatii Auditorio recitata, Pontifex ipſe Summus rata habuiſſet: quod verò nunc abrogatis hiſce veteribus, contraria ſanciret, graves nimirùm mutandi conſilii cauſas ſibi fuiſſe. Quandò igitur nil tale quidquam præfatum fuiſſe Abbatem compertum habemus, efficitur & cogitur (id quod volumus) temerè omninò illi afficta fuiſſe anni M. CCC. LXXIX. Decreta.

Hactenùs adulterinorum anni M. CCC. LXXIX. Decretorum cum germanis anni M. CCC. LXXXIII. Decretis facta collatio. Reſtat nunc ut adulterina hæc eadem Decreta quibus Beneficii titulo Rectoratus inſignitur, conferamus cum Inſtrumento certiſſimæ fidei atque auctoritatis, de quo in Clementis VII. Literis fit mentio, & quo Gymnaſii Adminiſtratio Abbatis Procuratori demandatur.

Eſt omninò ſuſpicio magna Falſarium noſtrum de ſubrogandis (ſi qua via eſſet) authentico Inſtrumento Decretis fictitiis, principio conſilium iniviſſe. Satis magno argumento eſſe poteſt, præcipuum fictorum Decretorum apographum, quod pro archetypo eſt, & in S. Martialis Gymnaſio etiamnum aſſervatur in Libro concinnato atque compacto.

Huic enim apographo dies promulgationis aſcripta eſt tertia decima Sept. quæ eadem Inſtrumento vero aſcripta reperitur. Cùm verò Inſtrumentum inſertum eſſet in Fundationis Literis, cùm archetypis, tùm apographis quæ extant, & in Cluniacenſi Tabulario, & in apographo quodam quod fortè in Avenionenſis Academiæ Tabulario repertum eſt, facilè utique judicavit Falſarius non committendum omninò, ut quæ dies aſcripta fuiſſet promulgationi fictorum Decretorum quibus ad Beneficii titulum Rectoratus evehitur, eadem prorsùs aſcriberetur Inſtrumento illi quo nulla Rectori tribuitur, præterquàm delegata juriſdictio. Quapropter Falſarius perfecto opere diem tertiam decimam Decembris quæ primum fuerat aſcripta] (cujuſque etiamnum apparet litura) die vigeſimâ ſextâ Decembris, adſcripto ad marginem brevi appendice, mutavit.

Verùm nullâ nec arte, nec conſilio fraus itâ potuit occultari, ut non illa manifeſtè pateat, ubi Decreta cum Inſtrumento conferuntur.

Quid enim à veritate magis abhorrens, quid denique fidei magis abſonum, quàm promulgatis die tertiâ decimâ Decembris in Pontificio Palatio Literis iis quibus Generalis Cluniacenſium Procurator Sancti Martialis Collegio præficitur; nihilo tamen minùs tredecim poſt diebus in ore atque in oculis eorundem

hominum, eodémque in loco, nova promulgata fuiſſe Decreta quibus ejuſdem Collegii Rectoratus in Beneficii titulum eveheretur, atque ità eveheretur, ut nulla interim ſuperiorum Literarum quibus Rectoratus merum erat Procurationis Officium, mentio fieret, etſi ratas illas fixáſque habuiſſet Diploma Pontificium, cui inſcriptæ atque insertæ reperiuntur.

Diploma porrò illud quo ratum habetur Inſtrumentum, quamquam non ante tertiam decimam diem Decembris promulgatum, decimo tamen Calendas Octobris, die ſcilicet vigeſimâ Septembris anni M. CCC. LXXIX. fuerat editum: Nec Archiepiſcopum certè, nec Jacobum Abbatem id fugere poterat. Illud ergo magnoperè ſcire velim, num componendis ſubdititiis hiſce Decretis à tertiâ decimâ dumtaxar die Decembris, quâ die promulgatum fuit Inſtrumentum ad vigeſimam ſextam Decembris quâ promulgata ſunt ficta Decreta, Archiepiſcopus Arelatenſis & Abbas incubuerinr.

Id verò (ut dicam id quod res eſt) fidem ſuperat planè, cùm vix ac ne vix quidem rot exſcribendis Decretis tantulum tempus ſatis eſſe potuerit. Jam igitur tertium ac dimidiatum menſem (totidem enim poſt Diploma datum interceſſerant) rem meditari, ponderare ac commentari per otium Archiepiſcopus & Abbas potuerant. Et quiſquam exiſtimabit illos poſt tam diuturnam commentationem, puncta, apices, & minutiſſima quæque ſigillatim fuiſſe perſecutos, de Rectoratu verò (quod erat rei caput & ſumma) an titulus, an potiùs ſimplex quædam procuratio foret in poſterum, nihil decreviſſe, nihil definüſſe, nihil prorsùs ſtatuiſſe.

Sex omninò ſeptémve circumſtantibus arbitris concepta fuiſſe ab Archiepiſcopo & Abbate Decreta, ait Scriba publicus Baſſurelli pag. 65. *Qui in præſentibus & ſingulis ordinationibus, & conſtitutionibus, dum per dictos DD. Camerarium & Abbatem agerentur ſeu fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, vidi & audivi.*

Diebus certè tredecim convenire toties, toties Decreta conſignare Literis, conſignata recognoſcere, recitare, priuſquam Scribæ tradantur: Hoc verò tantùm difficultatis habere judicandum eſt, ut vix tam diuturno operi tres ipſi menſes ſatis eſſe videantur.

Si ergo tribus hiſce menſibus ſuppoſita illa Decreta jam commentati fuerant Archiepiſcopus & Abbas, quibus ponderandi etiam atque etiam, ante promulgationem Diplomatis, ſpatium fuerat; quî demum, aut quorſum ſibi faciendum exiſtimârunt, ut hoc Diplomate fixum ac ſtabile haberetur Inſtrumentum quo Cluniacenſis Ordinis Procuratori, Gymnaſii adminiſtratio demandabatur: *Donec aliter fuerit ordinatum*: ſi tredecim poſt diebus lex planè contraria erat promulganda? annon concepta jam tum erant ac meditata Decreta illa quibus in Beneficium Rectoratus erat evehendus? Quandoquidem igitur ficta illa anni M. CCC. LXXIX. Decreta, nec ante Diplomatis & Inſtrumenti promulgationem, nec tredecim poſt diebus fieri potuiſſe manifeſtè compertum eſt, commentitia eſſe nemo ſapiens inficiabitur.

Atenim hìc mihi Cavillator aiet fortaſsè quiſpiam, tredecim ante diebus, promulgatum Diploma Abbati feciſſe poteſtatem nova Decreta de Archiepiſcopi Arelatenſis conſilio condendi, nullâ ſcilicet nec factâ, nec faciendâ mentione vel Inſtrumenti, vel Diplomatis, quo apertiſſimè ac planiſſimè definitum erat, dumtaxat penes Procuratorem Generalem fore adminiſtrationem Collegii, dum ſecus fuiſſet conſtitutum, *donec aliter fuerit ordinatum*.

Verùm (ſi id quod res eſt ingenuè confiteri velimus) quis umquam hujus vocis (*donec*) ſignificationem eò demum trahere audebit, ut eâ nil præterquàm dies tredecim ſignificari arbitretur? Ecquiſnam alius apertior? Ecquis planior

176

eſſe poteſt ſenſus Inſtrumenti à Pontifice Summo comprobati? Quid aliud innuit? Quid præſefert niſi Collegii adminiſtrationem fore penès Procuratorem Generalem illum qui eſſet id temporis; ſi verò vel adminiſtrationis formam, vel Præpoſitum ſubindè mutare videretur Abbatibus, fore nimirùm integrum illis utrumque mutare; ſiquidem id è re communi fore arbitrarentur.

Hâc enimverò poteſtate uſi identidem Abbates, cùm alium potiùs quàm Generalem Procuratorem Gymnaſio præfecerunt, dein, cùm Procuratores annuos à Convictorum communi cœtu ſibi offerri ſolitos, eidem præpoſuerunt. Poſtremò denique cum annuis hiſce Procuratoribus operæpretium exiſtimarunt Rectores ſubrogare, quos abdicarent arbitratu ſuo ſcilicet, & quibus commiſſam provinciam, quotieſcumque videretur, abrogarent.

* Abſoluto fundationis opere, cùm jam certa dotatio annuorum redditum, regendi explorata eſſet atque perſpecta ratio, quid eſſe cauſæ potuit cur ſupremo Pontifici offerri, palàmque in Palatio Apoſtolico recenſeri oportuerit longam Cœnobiticorum rituum, ſetiem quos à Pontifice præſcriptos aut poſtulatos fuiſſe nuſquam invenimus, nec in Caietano Diplomate primo, neque altero Avenionenſi. An non fuit ſatis eos Abbatis autoritate promulgari. Eóne fuit otio támque vacuus Arelatenſis Archiepiſcopus, ut de diſciplinæ Monaſticæ apicibus, fuerit ab Abbate Cluniacenſi conſulendus, de ratione cantûs, ſtudiorum, numeri cereorum, opſonii, veſtium ſericarum aut lanearum Ordinis Cluniacenſis? At ſi proprium fuit Abbatis munus hæc Monachis ſuis Statuta præſcribere, cur ea in Palatio Apoſtolico, non in aula Collegii, in communi Monachorum conſeſſu legerentur, ut factum poſteà legimus ab eodem Jacobo Abbate quatuor poſt annis; ab Oddone deinceps anno 1447. denique à Dubleo anno 1550. ut refertur pag. 64.

Ac tandem quoniam Statutorum ea valent, ſoláque vim ſuam obtinent quæ ſunt poſtremo loco condita; inde hæc adulterina eſſe arguuntur, quæ licèt ultima omnium fingantur, nullo tempore fuerunt in uſu, ſed his neglectis priora ſemper valuerunt. At luce clariùs id à nobis demonſtratum eſt in ea quam confecimus Chronologicâ de Rectoribus Epitome. Saltem monendum ſemel fuerat, cùm primi Rectores appellabantur Cadole, Begon, Echaudeſoles, Dufour, quamquam hiſce ultimis Statutis ſummus Pontifex præſcripſiſſet ut perpetuum deinceps Beneficii titulum obtineret Collegii Rector, placuiſſe Pontifici ut illi à communi hac lege eximerentur. Annon maximè viguiſſent hæc Statuta ab initio totis quindecim annis quibus Clemens ejus nominis VII. à Collegio condito ſuperſtes fuit, quo temporis ſpatio vidit ipſe perpetuâ ſerie Collegium à variis Procuratoribus adminiſtrari quibus hoc munus Abbas commiſerat, ut eſt ſuo loco demonſtratum.

Qua fronte illud Raymundus Abbas in Procurationis conceſſo Diplomate D. Dufour dicere potuiſſet, ſe quemcumque alium Collegii Adminiſtratorem de ſuo munere dejicere, ſi quidem hoc adminiſtrationis munus in titulum Beneficii perpetuum fuit? Neque dixerit quiſpiam ut argumenti vim retundat, agi hoc loco de ejuſmodi adminiſtratione quæ ſolùm circa rerum temporalium curam verſetur; nam præterquam quod uſque ad Abbatis Oddonis tempora qui primus ſpiritualium rerum curam à temporalium curâ disjunxit, omnium Adminiſtratorum communis fuit utriuſque cura, eorum præſertim Rectorum tempore quos modò recenſuimus; nominatim & diſertis verbis in Literis ſuis Pontifex dixerat, *quòd adminiſtrationi dicti Monaſterii & illi Monaſterio præſit Procurator.* Et alio loco. *Per Procuratorem regatur & etiam gubernetur.* Quibus verbis utraque cura deſignatur, eáque Procuratori tribuitur, quemcumque Abbas delegerit; ut reipsà hoc ipſo tempore D. Dufour verè Collegii Rector fuit, licèt nullo alio jure, quàm procurationis Diplomatibus ab Abbate identidem renovatis. Vide pag. 16.

L 2

Sed fingamus caſu aliquo, cujuſmodi nullus in mentem cuiquam venire poſſit, contigiſſe ut initio rùm cùm maximè vigere debuerant, Statuta illa in ſcriptis publicis ſilentio prætermiſſa fuerint: eſſet id quidem aliquid ſi temporis progreſſu aliquod eorum vel leve appareret atque extaret veſtigium; verum uſque ad tempora D. de la Coſte mirum de his ubique ſilentium. Immò in Rectoratûs Litteris quas D. Priori de Charlieu conceſſit Oddo Abbas pag. 18. ſic ait, ſe ea quæ facit ad normam facere Diplomatis de Inſtitutione Collegii, & ad exemplum ejus Inſtrumenti, quod continetur in eodem Diplomate. Neque in Statutis quæ idem Oddo Abbas condidit, alia præterquam Jacobi Abbatis Statuta refert anni 1383. iis prætermiſſis quæ ab eodem juſſu Pontificis edita confinguntur anno 1379. quorum proculdubio Oddo meminiſſet ſi ſuo tempore extitiſſent.

Sed cujus fidei atque autoritatis ſint videamus. Nullibi exemplar conſpici potuit, ubique contrà reperire eſt de Inſtitutione Collegii duo Diplomata. Eorum exemplar in majori Cluniacenſis Cœnobii Tabulario aſſervatur, itémque in Cimeliarchio minoris Tabularii. Eorum item exemplum ſimul cum Inſtrumento Avenione cum exemplari collatum fuit, & à Pontio de Blino publico Tabellione ſive Notario expeditum, requirente D. Begon de Murat, altero poſt primum Collegii Rectore. Reperta ſunt eadem duo Diplomata cum Inſtrumento, omnia ſimul in unum Diplomatis corpus redacta, in Archiviis Academiæ Avenionenſis. Quorum exemplum præbuit D. Bernard: unde patet nihil à nobis proferri, quod non authenticis tabulis, & inſtrumentis autographis confirmetur. Contrà verò, quod dicitur nova edita Statuta fuiſſe ad annum 1379. eáque in Palatio Apoſtolico promulgata, id gratis, temerè & ſine causâ dicitur.

Jam quod ad autoritatem ſpectar, nihil minùs firmum cogitari poteſt: extant omninò exempla duo in Collegio D. Martialis manu recente exſcripta, primum in libro quodam *in octavo* ad uſum Collegii: alterum à Tabulario Boquer deſcriptum qui ad finem hæc ſubjunxit. *Extractum à ſuo originali exhibito per Reverendiſſimum Dominum Gaſparem de Simiane Rectorem ſuprà dicti Monaſterii ſancti Martialis, & debitâ collatione factâ cum dicto originali pro parte dicti Reverendiſſimi Rectoris requiſitus me ſubſignavi,* BOQUET.

Hoc exemplum, quia nec menſem, nec annum adſcriptum habet, lege admittendum non eſt. Et quoniam conſtare jam debet inter omnes numquam extitiſſe tale exemplar quod ad annum 1379. refertur; cùm oblatum ſibi exemplar teſtetur Tabularius unde hæc exſcripſit, cenſemus illi acta Dublæi appoſita fuiſſe, quæ nos in membranâ deſcriptâ, & in ima capſæ veteris parte recondita invenimus in Collegio S. Martialis, eáque curſim, atque, ut dicitur, per ſumma capita eidem Boquet, lecta eſſe, quæ ille pro vero ementiti operis exemplari habuit. Si tamen fraudis non fuit conſcius, quod non ità abhorret à vero ſimili: fuit enim fidus arcanorum cuſtos cui commiſſum eſt, ut D. Elzeario Pellicier anno 1644. Litteras in manus redderet, quas ad eum dedit D. de la Coſte, cùm Romam proficiſceretur, ut ipſe Pellicier ſcriptum ſua manu reliquit in extima litterarum pagina.

Oſtendam deinceps, excurrendo per ſingula Statutorum capita, quàm ſtupenda Authoris cæcitas fuit, qui tot abſurdis refertum opus ſic ſtolidè concinnavit, ut juxta Scripturæ verbum, hoc etiam loco dici poſſit, mentitam eſſe iniquitatem ſibi, adeò loquitur non ſolùm malè cohærentia, ſed repugnantia.

Exordiamur à Præfatione Operis in qua verbo hoc *Divus* utitur pro voce *Sanctus*; inaudita hæc fuit loquendi formula ante initia ſuperioris ſæculi: quo illam pacto igitur Jacobus Abbas uſurpaſſet anno 1379. cùm ipſe hanc aliam vocem *Sanctus* ubique adhibuerit, etiam in his locis in quibus Emendator loco *Sanctus* ſubſtituit *Divus*.

Google

Statuto ſecundo præcipitur ut adſit in Collegio qui vices Rectoris gerat, ſeu Vice-Rector. Quod inſtitutum ſuperioris dumtaxat ſæculi proprium eſt, non temporum Jacobi Abbatis qui Statuto X I. eorum quæ ab ipſo ſunt edita anno 1383. ſic præcipit: *Omnes erunt ſub obedientiâ Prioris de Guilleſtrâ, & ſecundariò ſub obedientiâ Sub-Prioris in futuro.* Ergo neque Sub-Prior erat quiſquam, tantúmque abeſt ut anno 1379. Vice-Rectoris munus ſtatutum jam eſſet, ut ne quidem anno 1440. extaret, cùm Oddo Abbas litteras quas ad Avenionenſe Collegium dederat, Sub-Priori, Sacriſtæ, cæteriſque Collegii Monachis inſcripſit.

Subjicio permulta quæ Statuto tertio leguntur abſurda. Primum Sacriſtæ munus jam eo tempore inſtitutum fuiſſe affirmat, quod non affirmaſſe ſolùm, ſed etiam probaviſſe oportuit. Quo enim pacto ibi Sacriſtam ullum putabimus fuiſſe, ubi nullum omninò Templum fuit; nec verò eſſe potuit cum Diplomate diebus ante tredecim promulgato, exædificandi Templi à ſummo Pontifice Abbas petierit concedi ſibi facultatem, quod primùm conſtrui cœptum eſt poſt annos circiter decem; in Tabulis enim quæ in Procuratorum electione confectæ ſunt, qui expeditioni Litterarum pro Sorgienſi Prioratu intereſſe debebant, legitur, *hæc geſta ſunt in Eccleſiâ ſancti Martialis quæ de novo conſtruitur.* Deinde, quod etiam hebetioris ſtupiditatis eſt, ibidem Sacriſtæ demandatur ut curet lampades duas, primam coram Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, alteram ad D. Joannis Baptiſtæ Sacellum inextinctas ſervari. Illud Sacellum tamen anno 1407. ædificatum eſt annos octo ſuprà viginti poſtquàm Statuta illa condita ſunt. Petrus Borreri Cameræ Apoſtolicæ Clericus moriens reliquit undè illud extrueretur, pecuniam ſubminiſtravit negotiorum ejus adminiſtrator Joannes Limoſini, ut liquidò apparet ex acceptæ pecuniæ Tabulis. Eodem in loco onus imponitur Sacriſtæ in cereorum, facum, olei, aliarúmque rerum ſumptus pecuniam ſuppeditandi. Conſtat, tamen Sacriſtam eum ſaltem quem primum Collegii Tabulæ memorant ad annum 1440. ſine ullis certis redditibus annuis fuiſſe, donec paulò poſt attributus fuit Sacriſtæ D. Stephani de Sortibus Prioratus.

Sed demus extitiſſe hoc tempore Sacriſtam aliquem, quǒ reipſa nullus fuit: ut manifeſtò evincatur illius nequaquam fuiſſe cereorum, oleíque ſumptus facere, recognoſcantur verba Begonis Rectoris cum Pariſios proficiſcens, quo loco Collegii res eſſent recenſendo; *Habeo etiam*, inquit, *continuò facere diverſas alias expenſas, de quibus non fit aliqua mentio ſuperiùs, ut ſunt* intortitia, candelæ, oleum pro lampadibus, *& alia neceſſaria pro Eccleſia.* Rectoris igitur ea cura fuit, non Sacriſtæ; cùm Templi pars inferior eo tempore vix eſſet ad arcum alterum à primo perducta.

Jubet Statutum I V. Monachos omnes intereſſe Sacro *de Beatâ* ſtatim poſt publicas preces quas *Primas* vocant celebrando. Cujuſmodi conſuetudo cùm nulla extitiſſet anteà in Collegio S. Martialis ad annum ferè milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum à Joanne Borbonio Abbate tunc primùm inſtituta eſt, ut ex ipſo Joannis Dublæi Statuto apparet, in quo legitur, *Miſſa de Beatâ Mariâ, alta voce, à bonæ memoriæ Domino Joanne de Borbonio, Abbate Cluniacenſi dotata celebretur.* At quoniam vetus & temporis diuturnitate confirmata conſuetudo abrogari non poterat, vidit Falſarius ſaltem Inſtitutionis ejus tempus ſupprimendum eſſe, quæ cùm annis ferè centum poſt contigerit quàm hæc Statuta cuderentur, fieri omninò non poterat, quin apertè adulterina eſſe arguerentur, vel ſola ratione temporis.

Statuto nono non ſecus ac primo, itémque poſt primum altero, recenſentur gradus varii Baccalaureatûs, Licentiæ, Doctoratûs illuſtribus in Academiis: rectè illud quidem in Statutis Joannis Dublæi, verùm ille qui hæc eadem Statuta temerè tranſcripſit, ſe in rerum Cluniacenſium cognitione parùm eſſe verſatum

oſtendit, qui hæc honoris inſignia Monachis tribuerit anno 1379. quo tempore nulla inter eos fuit magnificentior appellatio, quàm *Doctoris in ſacra pagina.*

In Statuto XII. parum erit advertere quâ curâ novus hic Statutorum Architectus domeſticam impenſam magis contraxerit, ut in eo Rectori placeret; vas enim vinarium ſatis amplum vernaculâ Salyorum linguâ *un Pechier*, lagenâ commutat, non definitæ capacitatis quam ipſe pro arbitrio ſuo poſſet contrahere; definitam olei menſuram quæ dicitur *Seizain*, commutat arbitrariâ, denarios decem coëmendo obſonio à Joanne Dublæo deſtinatos, ad ſex contrahit. Sed in eo inſcitiam prodit, quod ait anno 1379. ſtatutum fuiſſe ut illi denarii ſex emptioni carnium impenderentur aut laridi, cùm tamen eſus carnium publicus non niſi longo poſt tempore inter Cluniacenſes admitti ceperit, in iis præſertim Cœnobiis quæ eſſent erudiendæ juventuti deſtinata, quemadmodum videre licet in Pontificiis Litteris Gregorii IX. & Nicolai IV. quibus poteſtas Abbati Cluniacenſi fit, ut *circa eſum carnium ſecundùm indulgentiam Clementinæ* judicio ſuo, quemcumque judicaverit communi Ordinis lege ſolvat: Necnon ex Joannis XXIII. Diplomate poſt Collegium conditum, quo Diplomate in univerſum conceditur, pinguium juſculorum uſus: quibus ne temerè uterentur, magna inter Cluniacenſes religio erat. Rem ulteriùs confirmabunt accepti expenſique rationes à Domno Meyreſio aliiſque Collegii Adminiſtratoribus, in quibus illi tantulùm pecuniæ in carnium ſumptus impendiſſe reperiuntur, ut indè facilè inferas, non omnibus promiſcuè, ſed infirmis dumtaxat & ægrotantibus datum eſſe ut carne veſcerentur.

In Statuto XVI. hæc verba leguntur. *Abſint à Monachis veſtes, flocci & indumenta ſerica, induſia, vario ornatu & complicata, quæ prodigioſo ſpectaculo mundanos aulicos ſe oſtentantes, non Religioſos decent, ſed veſtes talares, Caputium Birreto admotum.* Verba hæc ſunt J. Dublæi tempori ac ſtylo convenientia, quæ Interpolator ineptus emendare dum cogitat, depravavit. Obſervari hîc poſſunt labes & vitia, quæ ſuperiori ſæculo in illum Ordinem irrepſerant, & quibus Dublæus Statutis ſuis mederi voluit. Sed anno 1379. Jacobus Abbas non in ſimili causâ fuit, nulla ei fuit ejuſmodi reparanda Ordinis labes, eo tempore ſcilicet quo nondum Monachi privatum peculium ſibi habere, nec ſericis veſtibus uti conſueverunt, nec pileis quadratis, quorum uſus longo poſt tempore tolerari cepit apud Salyos, quamquam illum Dublæus toleratum voluit.

Docebunt tùm Jacobi Abbatis anno 1383. tùm alia Oddonis Statuta, quales eo tempore Cluniacenſium veſtes fuerint in Collegio S. Martialis, in quorum primo legitur, *Religioſi qui ibidem morabuntur incedent in habitu honeſto & decenti*; in aliis autem, *Tenebuntur Studentes portare ſuas cappas clauſas, dum ibunt ad lectiones.*

In Statuto XVIII. in eundem ſcopulum impegit Falſarius, cùm collapſæ diſciplinæ maculam quæ poſteriorum temporum propria fuit, primis illis Jacobi Abbatis temporibus affingit. Fuit illud tempus aliquando cum in Generali totius Ordinis Concilio congregati Cluniacenſes Patres de ſolutiore Monachorum S. Martialis vitâ conqueſti ſunt. Inde ad uſque Dublæi tempora, Superiorum negligentiâ, Eccleſiaſticorum Beneficiorum multiplici numero, proprio res ſibi habendi jure, variâ Graduum diſtinctione, Cœnobiorum multitudine denique in quibus pauci admodum, bini quandoque, vel terni alebantur: his aliiſque ejuſmodi rebus factum eſt ut facilis gravioribus vitiis aditus in Cœnobia pateerit. Sed anno 1379. ante illa tempora quis ejuſmodi portenta umquam inter Cluniacenſes viderat? Quid? cumulaſſet Pontifex Opt. Max. omni Beneficiorum genere ſolutioris vitæ Monachos, omníque addictos intemperantiæ? Cardinales ſuis ipſi ſe redditibus ſpoliaſſent ut ex iis dotaretur Collegium, latroni-

bus, violentis, adversùs Superiores rebellantibus, alendis deſtinatum, ejuſmodi hominibus qui pernoctarent extra Cœnobium, qui profligatæ pudicitiæ fœminas in Collegium inducerent, qui arma in cubiculis ſuis apud ſe occultarent. Quis foret Abbatis Jacobi ſenſus ſi reviviſceret? num horreret ad aſpectum deformatæ imaginis, támque abhorrentis à vera ſpecie Collegii, quod ille ut opus ſuum præcipuè ſemper dilexit, cujus causâ tam ingentes curas, tantos pecuniarum ſumptus ſuſcepit. Maneat ergo ementita illa Statuta temerè, & ab imperito nebulone ex D. Joannis Dublæi Statutis fuiſſe deducta.

Nec minùs abſurdum videtur Statutum vigeſimum in quo præcipitur triplex, ut clavis ſit recondendis Tabulis aut Collegii Monumentis, clavéſque tres ſerventur ejus loci in quo pretioſa, auro atque gemmis opera repoſita jacent. Quid enim ſimile auro gemmíſve habere potuit Collegium tùm cùm primùm cœpit Inſtitutionis ejus Diploma evulgari, quæ Inſtrumenta & Tabulas, cùm adhuc ſine redditibus, ſine fundis, ſine Beneficiis Eccleſiaſticis eſſet?

Debebat, ſi quid ſaperet Tranſcriptor, alicubi notaſſe non in neceſſitatem præſentis temporis, ſed in cautionem futuri illa Statuta condita fuiſſe, Jacobi Abbatis exemplo qui ſic habet in Statutis anno 1383. à ſe editis, *ſub obedientiâ Prioris de Guilleſtrâ & Supprioris in futuro*, atque iterum, *tunc augmentabitur numerus Religioſorum*. Sed ille parùm alia curabat, modò hæc verba quorum causâ res omnis ſuſcepta fuerat, in primâ Statutorum fronte inter cætera inſereret. *Perpetuum Beneficii titulum in ſuo Rectoriatûs officio obtineat.*

Hujus Articuli cenſuram in operis hujus finem diſtulimus, quo in articulo mitum eſt ſic extare, atque omnium oculis expreſſam apparere fraudem & oſcitantiam Falſarii, quamquam nullo loco callidiùs dolum occultare debuerat.

Ligandi, ſolvendi, &c. plenam & integram poteſtatem habeat, talémque & ſimilem juriſdictionem exercere poſſit, qualem poſſunt & ſolent cæteri Decani, Præpoſiti & Priores Conventuales dicti Ordinis Cluniacenſis, qui tamen hìc immobiles ponere Sedes, aut perpetuum Beneficii titulum ſe obtinere non arbitretur, verùm ad nutum dicti Reverendiſſimi Abbatis revocandum intelligat. Hæc ſunt verba Dublæi in Statutis ſuis de Rectore loquentis, quæ ſic Plagiarius immutavit, *Ligandi, ſolvendi, &c. plenam & integram poteſtatem habeat, talémque & ſimilem juriſdictionem exercere poſſit, qualem poſſunt & ſolent cæteri Decani, Præpoſiti & Priores Conventuales dicti Ordinis Cluniacenſis, & qui ſicut illi pro majori utilitate Monaſterii, perpetuum Beneficii titulum in ſuo Rectoriatûs officio obtineat, regendo ſcilicet, & adminiſtrando bona ſecundum mandatum Sanctiſſimi, in Bulla erectionis Monaſterii contentum.* Conſulantur paginæ 47. & 48.

Plures tam brevi ſpatio errores contineri difficile eſt. Dicitur primò ad majorem utilitatem Monaſterii, Rector perpetuum Beneficii titulum in ſuo Rectoriatûs officio obtineat: enimverò quam utilitatem? quæ ad ſpiritûs profectum attineat, an ad rerum domeſticarum fructum? Ad priorem ſanè nihil titulus confert, quoniam, ut hoc ipſo loco legitur, eadem attributa erat authoritas etiam ſine titulo.

Rerum verò domeſticarum ratio potiùs contrà poſtulaſſet, ut ad majorem utilitatem Collegii (quo nomine numquam Falſarius noſter ūtitur) ad majorem utilitatem inquam, & ne Rector in ſuos uſus ſuáque commoda derivaret redditus annuos alendis Scholaſticis deſtinatos, ad Abbatis arbitrium Rector quaſi æquus bonorum diſtributor præponeretur, adminiſtrationis ſuæ rationem quotannis in Cœnobitico conſilio Abbati redditurus. Quod niſi ità fieret, ſcribendum potiùs fuit, *pro majori utilitate Rectoris*, quàm *pro majori utilitate Collegii.*

Jam verò perpendantur Dublæi verba in contrariam partem detorta, *& qui ſicut illi, &c.* Si ſuum Rectori munus in perpetuum Beneficii titulum ceſſit, fruſtrà & ineptè ſimilis ei poteſtas conferatur, quæ ità cum Beneficio conjuncta eſt, ut

Digitized by Google

nec ab eo divelli, nec ſine illa hoc ſtare ullo modo poſſit. Præterea eandem, non ſimilem poteſtatem dici oportuit, nihil enim eſt ſibi ipſi ſimile.

Quantò rectiùs ac cohærenter magis Dublæus. Rector Collegii S. Martialis, inquit, hîc immobiles ponere ſedes non arbitretur, ſed ad nutum dicti Reverendiſſimi Abbatis ſe revocandum intelligat: at quamquam delegatam dumtaxat juriſdictionem gerat, ſimilem tamen exercere poſſit, qualem poſſunt & ſolent cæteri Decani, &c. id verò eſt conſtare ſibi, nec eodem temporis puncto loqui pugnantia.

Denique ſub finem hujuſce Statuti Falſarius ità quater eſt lapſus, ut dubium ſit, plúſne in eo fraudis prodiderit, an inſcitiæ. Primò. *In ſuo Rectoriatûs officio perpetuum Beneficii titulum, &c.* Solemnis atque uſitata fuiſſet hæc Rectoris appellatio, ſi ab initio conjuncta fuiſſet cum titulo, quam tamen ab Antiquioribus vel numquam, vel rariſſimè uſurpari conſueviſſe videmus. Secundò. *Regendo & adminiſtrando bona.* Videtur novus hic Statutorum Architectus mirum in modum de bonorum Adminiſtratione ſollicitus, cætera negligere, quamquam ex Pontificum Abbatúmque conſilio ac voluntate tenerentur Rectores diligentiùs multò, vitam moréſque eorum obſervare qui degebant in Collegio, *Regatur*, inquiunt, *atque etiam gubernetur.* Tertiò. *Secundum Mandatum Sanctiſſimi, in Bullâ erectionis Monaſterii contentum.* Nuſquam neque in Caïetano Pontificis Diplomate, nec in Avenionenſi legitur eum qui præponeretur regendo Collegio *perpetuum Beneficii titulum obtenturum.* In Caietano id annotatum eſt, à Cluniacenſibus Collegium regi oportere; in Avenionenſi etiam à Procuratore Abbatis; vox illa denique *Sanctiſſimi*, ſine addito, apud Recentiores frequens, ab Antiquorum uſu videtur aliena, maximéque Jacobi Abbatis, qui cùm de ſummo Pontifice loquitur, hac aut ſimili plerumque ſolet appellatione uti, *Dominus noſter Papa*, pag. 38. *& ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, D. Clemens D. P. Papa VII.* pag. 43.

Equidem exiſtimo Statutorum Artificem, ſi ſuſpicari potuiſſet poſt annos ferè quinquaginta adulterinum opus ſuum ab hominibus non minùs in Cluniacenſium rerum cognitione verſatis, quàm incenſo ſtudio inflammatis ejus Ordinis jura ac prærogativas tuendi, ad examen revocatum iri, paulò cautiorem diligentiam in cudendo Opere ſuo adhibiturum fuiſſe. Ac ſi qui hodierna die figmentum illud venditant, latentem in eo fraudem non perſpexerint: poſtquam à nobis tam apertè retecta eſt, illud ultra jactare deſinant, & pro ſuâ prudentiâ diſſimulent, nec ultrà de eo loquantur. Debetur flammis Inſtrumentum tam nefariè depravatum, falſíque manifeſtò compertum, ne ulla ſuperſit in Collegio S. Martialis aut Ordine Cluniacenſi tantæ pravitatis memoria, néve in mentem veniat deinceps alienis hominibus Abbatem Cluniacenſem de legitima Collegii poſſeſſione dejicere, quod Anteceſſores ejus propriis redditibus dotaverunt, Abbatiæque ſuæ Beneficiis ornârunt & amplificârunt, Sed jam nimis multa adversùs ſpurium illud Opus, quod cùm ruat per ſe, dignum non fuit quod tanto conatu refelleretur.

FINIS.

Digitized by Google